F-44.9
D747

FROM THE LIBRARY OF

REV. LOUIS FITZGERALD BENSON, D. D.

BEQUEATHED BY HIM TO

THE LIBRARY OF

PRINCETON THEOLOGICAL SEMINARY

Division SCB

Section 4296

Sold by
C. J. STEWART,
11 KING WILLIAM ST
W. Strand, London.

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/vindic00doug

VINDICIAE

Psalmodiæ Ecclesiastico-divinæ.

In quibus Corruptelæ & Errores circa hunc sacrum Cultum deteguntur & refelluntur, ipseque Cultus hic sacer clarè asseritur.

Ad Coloss. 3. 16. —— *Psalmis, Hymnis & Cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in corde vestro, Domino.*

Clem. Alexand. ἐν παιδαγωγῷ. μόνος τῶν ζώων ἄνθρωπος μιμητικὸς καὶ ἀρμονικός ἐστιν.

August. Tract. de Psalmorum Effectibus salutarib. *Canticum sp. Deum ostendit, dæmonem offendit, voluptatem illicitam extinguit, omnem furorem deprimit cor lætificat, animã impinguat, ignem spiritualem in corde accendit.*

Idem lib. 10. *Conf.* cap. 33. *Adducor cantandi consuetudinem in Ecclesia approbare, ut per oblectamenta aurium, infirmus animus in affectum pietatis assurgat.*

Authore GULIELMO DOWGLASIO
S. S. Theologiæ Professore in ACADEMIA REGIA Aberdonensi.

Excudebat Jacobus Brunus Urbis & Academiæ Typographus, Aberdoniæ, 1657.

LIBRARY OF PRINCETON THEOLOGICAL SEMINARY FEB 5 1936

Clariſſimis, Spectatiſſimis & Ampliſſimis Viris.

DOM. GEORGIO CVLENO, *PRÆFECTO MAGNIFICO,*

Nec-non

D. IOHANNI JAFFRÆO.

D. PATRICIO MORO.

D. ALEXAND. SKINÆO.

D. GULIELMO GRAIO.

Conſulibus Prudentiſsimis, Cæteriſq; Inclytæ Civitatis *Aberdonenſis* Senatoribus conſultiſsimis, D. ſuis omni obſervantia perpetim colendis, in animi grati, devoti, addictiſsimi τεκμήριον, hoc quodcunque eſt opuſculi *D. C. Q.* Author.

Liceat Pace veſtra, A.V. *Vos,* [quibus incoctum eſt generoſo pectus honeſto] *paucis alloqui Cum plurimi ſint ſæculo hoc tam veræ pietatis ſterili, quã religionum fertili, quibus non alia honeſtior via ad famam, nominiſq; celebritatem*

pateat eâ, quam Herostratus *olim institisse dicitur, ut incenso* Dianæ *Templo, nomen suum posteritati transcriberet: & in eis* Antipsalmistæ, *quo genere hominum cum nihil sit vel illiteratius vel dominantius, hinc est, (ut sua quemque inventa delectant) quod pari audacis impietatis Obelo Psalmodiam sacram, hi infruniti confodiant, quo pleraque alia instituta divina convellant, omnemque divini cultus formulam nauseent. Quamvis enim hi Novantes minimo probabili vel plausibili suffulti primi rerum esse volunt, omnibus anteferre, quiddamque proprium affectare: attamen quam subsidant infra venerandæ Antiquitatis, illa primæ magnitudinis nomina, Scripturarum scientiâ, disputandi solertiâ, scribendi dexteritate, agendi peritiâ, patrum usu, eloquentiâ piâ, moderatione justâ, prudentiâ simplici, vitâque sanctè transactâ, tam loquitur res ipsa, ut haudquaquam sit Paraphrasis indiga. Ad quorum Capitonum Cervicosorum vecordem audaciam retegendam, retundendam stricturas aliquot pridè (horis nonnullis fuffuratis, & operâ subsecivâ) efformatas, eductasq; ex scriniorum latibulis, exire nunc patior* εἰς φάος ἠελίοιο. *Vt vero expromerem, illa una mihi* τῆς κακοδοξίας ἀνθιμαχω, *mens fuit (dico* κατενοώθιον τὸ θέα, ᾗ ἐξ εἰλικρίνειας*) ut partim cordati, qui ex utroque rivo,* Iordane *&* Helicone *biberunt, ingenuè fateantur* ὅτι ὁ παλαιὸς χρηστότερος ἐστὶν. Luc. 5. 39. *Adeoque contra* Cornwalli, Robinsoni, Wottoni, *aliorumque male feriatorum absoletas tricas, subscribant S. & magnæ Synodi decreto* τὰ ἀρχαία ἤθη κρατεῖτω. *Partim quò hi* Aristippi *Magistelli, dediscant. si pote est quod nec bene didicerunt nec auspicatò docuerunt, mulierc ularum credulitati, fulguratis suis opinionibus, tum hic tum alibi insidiates. Deniq; ne proximi* Ucalegonis *ardentis scintillæ huius* ἀνομαλίας *in tantum evolent, ut nos suffocent, amburent, & male perdant. Quod verò hujus scripti frontispicium, nomine vestro. V. A. exornare studuerim, certè non uno nomine sic inscribo. Equidem agnosco, quod*

scitum

scitū istud ARISTIDIS, (Deo Tēpla esse consecranda, viri autem eximii librorū dedicatione venerandi) *abunde sufficiat cur sub vestris auspiciis & tutela prodeat. Sed si pressiùs dilatem, causæ adsunt nec paucæ nec leves hujus facti, sive vos sive rem ipsam, sive me spectem. Earum* prima *sit, Quod sacra avita tam intemerata cupiatis, ut eis nolitis vel detractum, vel superadditū.* Altera, *Quod eadem, quorum videmini retinentissimi propagata velitis in posteritatem seram.* Tertia, *Quod sobriæ, piæ, ac venerandæ Antiquitatis judicium gravissimum, ingeniumq; acerrimum in nullo refugiatis, eiq; secundum Scripturas innitamini, novitati prout convenit diffidentes.* Quarta, *Quod pro virili, ut Templa, Academia, Scolæ, (fertilissima Ecclesiæ & Reipub. Seminaria) forumque ipsum, sint pulchrè ornata, eisq; provisū procuratis, contenditis.* Quinta, *Quod præ aliis solicitiùs curatis (sicut decessoribus vestris in more pio fuit) ut inter vos* Luscinia Attica *vigeat, floreatque. Quantopere namq; ubivis deprædicatur symphonium symphoniacorum, quod olim fuit & adhuc est, in inclyta vestra* Bonaccord. *quæ quâ in arte, quâ in ipso jugi cultu, supra alias se extulit urbes? Cuinam enim, dummodo sit naris emunctioris dummodo sit vitæ castigatioris & pietatis defæcatioris, non arrideat hoc (cui vindicando iusudamus) institutum divinum? quibus si subnectam quod debeo redhostinentum, pro vestra summa in me immerentem humanitate, attamen & in hoc, officio minor sim. Patiemini ergo sic inserbi, ut saltem hoc argumento animum in vos gratum demonstrem, ad quod teneor, nisi audire vellem,* ἵνος πρὸς λύραν ἀγροικος. *Suscipite itaque munnsculum Levidense, (nam eo quo par est, affectu offero, consecro.) fronte serenâ, & in favoris vestri propensissimi complexum & patrocinium haud dedignemini reponere. Hoc* inquam *quod scripsi contra sequiùs de hoc cultu per Cantica sacra opinantes. At ne publica commoda (quorum consecranei videmini) morer, sisto calamum. Ita Deus immortalis*

vos

vos longùm sospitet, curas consiliaq; vestra secundet, in nominis sui sanctissimi gloriam, in Civitatis & Ecclesiæ Dei in ea incrementum dirigat, ut sic vos, vobisq; commissos hic sospites, alibi beatos velit ipsa æternitas in & cum qua comprehensores. & in patria triumphantes canatis ὅτι τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ, καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Huc redit summa votorum ejus, qui nunquam desinet esse*

E Musæo meo 23. Martii, 1657. *stylo veteri.*

V. A. studiosissimus & devotissimus Cultor, GUIL: DOWGLASIUS.

TARÆNESIS *ad S. S. Theologiæ Candidatos, aliosq; Lectores benevolos.*

CUm nostrâ valdè interfit μηδὲν ὑμῖν τι χάρισμα πνευματικὸν, εἰς τὸ σῆριχθῆναι ὑμᾶς, nihil priùs prævertendum censeo, monelâ nostrâ Syserâ ut debitâ, quâ novaturientium veteratoriæ præcaveatis, ab Orco qui revocant olim jure merito explosa, ejecta & damnata ab Ecclesia Catholica. *Ex librorum enim quorundam titulis ingleriis & blasphemis, tanquam ex cortice pestifero, facile discernatis quam venenatus insit nucleus in totis Christianismi vilipendium extremum. Cujus impietatis Titanicæ, Cyclopiciq; fastus, fœtus vipermi hi inter alios sunt.* Schiltingii, tormentum Throno Trinitatem turbans. Anonymi cujusdam Itali, de tribus impostoribus, *Mose, Christo, Muhammede.* A Casa de laudibus Sodomiæ. Swenkfeldii sæculum Sp. Sancti non verò Christi. Weigelii Theologia astrologizata & astrologia Theologizata. Præadamitæ, Riccii mulier non est homo. Sectariorum modernorum, quod Psalmodia divina non sit connumeranda institutis T. N. &c. *Qui Mimi clanculariis id nunc agunt, quod olim* ARIUS *in* Soradica sua Thalia; *Manes* in Epistola fundamenti, *Lucianus, Julia-*

nus, Porphyrius, Celsus, Libavius aliique, *ad infamis atheismi tum invectionem tum propagationem. Et quamvis ultimus ille recitatus titulus, videatur nisi aqua talaris præ illis intransitoriis, attamẽ cum ex isto cœtu segrege, aliqui, (qui præ aliis videri velint Catholicissimi) id unice satagant, ut tam sacer cultus eradicetur, ac eliminetur, nobis omnino annitendum est, ut suo suffultus basi, suo stet talo. Triennium est, ex quo qui præsentes aderant, exceperunt, quod iam publici juris facimus, ac tum ostendi, abs re esse, si vos à publica navi, in qua tuto vehamini, temerè transsiliatis ad rimosam scapham, vel mutatâ velificatione, (ut ait non nemo) deflectatis ad fauces naufragiis infames. Si aliqui obstrepant, quis* Herculem *vituperat? Ego clarum dedi, aliquamultos,* cap. 3. p. 1. *Si ogganiant, quis penicillum post* Apellem? *Agnosco* Cottonum *doctè,* Foordum *piè hoc ipsum tractasse. At ut cum* August. *loquar, si ego scribendo proficio, quis sobri? mihi vitio vertat? Utinam* Hieron. *ad* Nepotian. *sequar monentem.* Diu disce ut scite scribas. Multi eadem, eâdem mente scripsere, quãvis stylo ac fine diverso, ait idem Augustus. *Si excipiant, quid me in re tam tenui eviscero? Subdo, si in illo, Concham non canalem egero, at tenuis non gloria. Si denique instent, deliria ista esse* ἐγγὺς ἀφανισμῦ, *at* inquam *ego, nota magis vilescent, sic namque depretiantur, sic animam agunt. De hisce Scepticis* Calvinus (ὁ πολλῶν ἀνδράξιος ἀλλῶν) *sic pronunciat.* Mihi credibile est, si homines isti cunctis persuasissent suum errorem, rursus ipsos mutaturos consilium, & ad eam mentem, à qua discessissent prius, quo soli saperent, neve aliud ac cæteri non sentirent, redituros. *Hi namque nostri Euripi tam sunt in hoc mundi salo* ἀμενηνὰ κάρηνα. *Non sum meditatus, ut videtis, crassum & vegrande volumen, non enim opus erat. Et quod molior contra* ἀμούσους, *non Mathematicè, non Rhetoricè, sed Theologicè conatus sum, in Concionatorum, &* λειτουργούντων, *maximè vero in vestrum* τῶν νεόφυτων *usum, cui me impendi par est, Pulsum styli inæqualem sæpe facit materia subjecta, sæpius autem* τῶν φίλερίδων *stylus decretorius. Si candidè ac rotundè res acta est, frustra à me speretis* Atticismos. *Utinam ego sic vobis præsim; ut* (quod in diverbio est,) Citharisante recte abbate, tripudient convenienter Monachi. *Faxit Deus Theologicè ut credatis, dicatis, vivatis, hoc est,* ὀρθολογεῖν, *hoc est* ὀρθοπαθεῖν, *hoc est* ὀρθοπραγεῖν. *Convenit enim, ait* Tertull. *Ut qui sunt Theologiæ Candidati sint etiam sanctitatis. Estque id quod de* Basilio *dixit* Nazianz. τὰ πρεπόντα τῶ Θεολογήσαντι,

νήμαλε, βεβαίοι τῇ πίστει, ἐ μὴ μέλα καιρῶν πιστεύητε. *Quid si reſo-cillem vos ſanctiſſimi* Pauli *Nutheticis ad* Tim. *&* Tit. *quæ vel maxime vos attinent, quò tam* Scyllã *quam* Charybdin *fluctuantis ſæculi devitetis? hoc non erit operam luſiſſe, ego ſumma ſequar faſtigia rerũ, & ordine longo.* 1. TIM. 4. 7. Prophanas & aniles fabulas averſare, ſed exerce te ad pietatem. 12. Nemo tuam juventutem contemnat. Sed eſto exemplar fidelium in Converſatione &c. 14. Ne negligito donum quod in te eſt. 15. Hæc meditare, in iſtis eſto. 16. Intentus eſto tibi ipſi. *Cap.* 5. 22. Temet purum ſerva. 12. Decerta præclarum illud certamen fidei, 13. 14. Mando tibi —— ut obſerves hanc præceptionem, incontaminatus —— 2. *Tim.* 1. 13. Expreſſam teneto formam ſanorum verborum. 14. Præclarum illud depoſitum cuſtodi. —— *Cap.* 2. 1. Corroborator per gratiam quæ eſt in Chriſto. 15. Stude teipſũ probatum ſiſtere Deo. 16. Profanos autem de rebus inanibus ſermones cohibe. 22. Iuveniles autem cupiditates fuge. Sed ſectare juſtitiam —— 23. Stultas autem & ineruditas quæſtiones averſare. *Cap.* 3. 14. At tu maneto in eis quæ didiciſti. *Cap.* 4. 5. At tu vigila in omnibus, tolerans eſto afflictionum. Ad *Titum* 27. Per omnia teipſum præbens exemplar bonorum operum. *Quas aureas ſententias* Calvinus *ſemper ſuis inculcabat ſtudioſis Genevenſibus*, Calvinus ille, *quo an quis, poſt illa tempora Apoſtolica, veri vel amantior vel intelligentior multùm dubito. Vos interim Lectiſſimi Juvenes, dilectiſſimi fratres, Deum Patrem Luminis pro me orate (qui pro vobis bella Domini contra Φρεναπάτας gero) ut ante emenſum vitæ curriculũ (vegetioris ſiquidem ætatis viribus propemodum exhauſtis) Colophonem Diatribis noſtris de vera, juſta, ac debita membrorum veræ Eccleſiæ viſibilis qualificatione prout maxime eam eſt interpretata veneranda & Orthodoxa Antiquitas, imponam, impedimenta quæque diſcutiat, detq; invicto animi robore armatum, ſpirituq; diſcretionis inſtructum: Quas neutiquam celebris nominis affectatione, nec alterius exiſtimationis invidiâ, nec lucri aucupio novit Deus, ſed purâ puta veritatis ſolius indagandæ ac vindicandæ neceſſitate conſtrictus, intendo. Eundemq; omnis boni doni datorem, concorditer comprecemur, quò caliginem omnem diſcutiat, animos fluctuantes componat, diſſidia prohibeat, errantes in viam regiam reducat, Eccleſiæque ſuæ pacem, veritatem, ſplendoremque reſtituat, tandemque conclamemus, ἡ σωτηρία τῷ θεῷ ἡμῶν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ, καὶ τῷ ἀρνίῳ. Quod ipſum votum eſt aſſiduum & ardentiſsimum ejus, qui*

Veſter eſt in Chriſto frater addictiſſimus, GUIL. DOWGLAS.

PSALMODIA ECCLESIASTICO-DIVINA

Erroribus & Corruptelis variis impetita, clarè asserta, & strenuè vindicata.

PRAEFATIO.

IN qua præmittitur *Exegesis Analytica* v. 19. cap. 5. Epistolæ ad EPHES. (*Loquentes inter vos mutuò Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus, cantentes & psallentes in corde vestro, Domino.* Necnon loci Paralelli, v. 16. cap. 3. Epist. ad COLOSS. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè, cum omni sapientia, docendo, & admonendo vos mutuò, Psalmis & Hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratiæ cantando in corde vestro, Domino.*)

Præceperat PAULUS v. 18. loci prioris, *Ne vino inebriemur,* ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία quæ assiduè commessantium & pitissantiũ, adeoque temulentorum in sordibus ac impudicitia volutantium, lascivia est: sed ut Spiritu h. e. hujus gratiâ adimpleamur. Huic modum præstruit subnectens præcipuum hilaritatis verè Christianæ effectum, appositissimè suam ducens originem à Sp. S. repletione, seu ebrietate spirituali. Nam sicut è vini ἀσωτία. lætitiam quandam, vel potius impuram lasciviam videmus proficisci, quæ passim in sermone incondito, cantu profano, actibusque se prodit nefariis: Ita etiam a Sp. Sancti cor nostrum replentis ubertate, pura & sancta procedit hilaritas, quæ se inter alia sui gnorismata, per Cantica spiritualia, perque δοξολογίαν ostendit. Unde signanter notes, hoc Sanctis in S. tribui, priùs eos Sp. Sancto repletos

fuisse,

fuisse, antequam in Dei laudes, aut sermonem Propheticum enuntiandum erumpant. Vide sis hæc loca. Luc. 1. 41, 67. Act. 4. 31. Act. 10, 44. &c.

Hæc Psalmodia spiritualis, per suas quatuor necessarias partes, sic hic explicatur, ut primo sint species cantionum sic dictarum. Deinde sit Epitheton διαχειλικὸν eisdem concinnè tributum. Tertiò sit præcipuum Organum hisce concinendis tributum. Denique sit objectum seu finis ᾧ, putà in cujus gloriam referas ista.

I. Quod primum attinet, disquisitione peculiari partis primæ cap. 1. horum explicabitur distinctio.

II. De secundo pronuntio; prorsus convenit Christianorum Cantica esse spiritualia, quo partim secernantur à profanis, de corde impuro manantib⁹, impuroque ore prolatis; quibus proh dolor! nimium referta sunt urbium compita, Typographorum præla, librariorum officinæ, opificumque cellulæ: partim quo de facili, ipsorum percipiatur natura. Ac primò sic jure dicta censemus, cum horū talium unicus Author sit Dei Spirit⁹. Nam sicut carnalia à Diabolo instigante promanant, sic & hæc a Dei spiritu suscitante in nobis non solū suspiria ineffabilia, sed etiam Cantica laudis cum gaudio inenarrabili. Deinde Argumentum seu materia objectiva taliter tota est, sive Dei in Eccl. siam recinamus benignitatem & misierationes, sive in rebelles judicia & minas, sive olim gesta recolamus, aut effecta nupera providentiæ commemorentur, sive promissa aut sperata deprædicemus, aut mala præsentia enumeremus: totum hoc quicquid est, Sp. Sanctū spirat; Tertiò, horum forma ita est comparata, ut nunquam redoleat corrupti ingenii levitatem, nulla namque hic cernere est poëticæ vanitatis figmenta, nec ulla hic sunt idolorum nomina, homines ψυχικοὶ odas suas conspurcant potius quam exornant, cum omnis hic spirans Melodia sit Christianæ gravitati contemperata.

contemperata. Denique talia & a fine sunt, cum non referantur vel ad carnis voluptatem, vel merè ad aures demulcendas, vel ad plausum captandum, vel ad ingenii peritiæque acumen ostentandum, vel ad pelliciendos animos ad aliquam peccati impuritatem, qui carnalium cantionum finis esse assolet: sed ad Dei gloriam promovendam, ad audientium perinde ac canentium profectum & solamen, quo per hæc exercitia meliores & sanctiores reddantur, ipsorumque affectus a terrenis magis alienentur, ad cœlestia rapiantur alacriùs, ipsumque Christum promptiùs evehantur.

III. Ut dextrè canamus, non lingua, non labia, sed cor est præcipuum instrumentũ, absque quo nulla unquã Deo futura est grata aut suavis vocis maximè canoræ modulatio, omnis enim χειλολαλέια nuda, ab illo præcisa, est nisi sũma ἐθελοθρησκέια. Corde canitur per intellectum & attentionem ad prolata, corde psallitur per intimum devotionis affectum, quo viscera omnia tanquã fides & nervi affici ũtur & tanguntur, quæ sunt quasi duæ partes hujus internæ Melodiæ, sine quibus, claudicat omnis in aure Dei concentus: omnis Symphonia, vera est διαφωρία. h. e. Si vox a voto, verba ab animi sensu, clamor a cogitatione, lingua a mente dissona sit. Ut sit sensus, cor canentis convenit esse spirituale, a Spiritu Sancto purificatum, utque procedant cantica e spirituali affectu h. e. fide in Deum radicatâ spe viva, gaudio ineffabili, gloriæ divinæ zelo, rerumque cœlestium desiderio. Sic beata *virgo Maria* canebat, *Luc.* 1. 46: quod justum dico illorum elencticum, qui boatu incondito mugiunt, quique fritinniunt affectatâ, molli, fractâ, & plusquam scenicâ minuritione. de quo abusu postea dicetur. Commentatores optime hoc, ἐν τῇ καρδία explicant. Calvinus, *cum corde vestro*; Diodati, *de vel ex corde vestro.* Beza, *non solum intus & apud se, sed serio cordis affectu, ac non tantum labiis*, Estius,

per hoc expressiùs significatur cantantium unitas & consensus. DAVENANTIUS, *ut in cantando sit intimus ac vehemens cordis motus.* BERNARD. serm. 59. *Hoc tracta in mente, quod cantas in voce, non aliud cogites & aliud cantes.* CHRYSOST. ad id. τί ἐστιν ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ ἄσματος, μετὰ συνέσεως προσέχουσιν.

IV. Finis ὦ exertè hic expressus. Domino, h. e. interprete *Bodio*, liberatori, servatori, Redemptori Christo: non luxui non quæstui. Censuerunt Ethnici *Amphion*, *Arion*, *Orpheus*, *Anacreon*, aliique, stercoreos suos Deos, *Iovem*, *Apollinem*, *Bacchum*, *Neptunum*, hymnis condecorandos: itaque inserviant cantiones nostræ veris Christi laudib⁹ concelebrandis. Atqui hunc fuisse Christianorum veterum morem, præter & post S. testatur homo gentilis *Plinius secundus*, lib. 10. epist. 39. rescribens TRAJANO Impp. *Christiani*, inquit, *soliti die stato convenire ante lucem, carmenque Christo quasi Deo dicere, secum invicem.* Nam ut spirituales Cantilenæ ab ipso sunt profectæ, par est in ipsum refundi. Tumque censemur Domino ceciniisse, quando spiritu, intelligentiâ, ore, ipsius virtutes admirandas extollimus. Sed est hìc una contextus particula, non levi pede prætereunda, quid sibi vult λαλοῦντες ἑαυτοῖς? quidam perperam (ut notat *Estius*) reddunt, *meditantes inter vos ipsos*, nam in hoc sacro cultu est allocutio mutua aliqualis. *Piscator* nos firmat, dicens, quod Cantus Ecclesiasticus habere debeat speciem colloquii, nimirum ut sit concentus. Si recinamus, inquit, spirituales, non quas profundunt temulenti in suis impuris symposiis, argumento esse, quod simus a Sp. Sancto repleti gratiâ. CORNEL. a Lapide sic (*quando in unum convenitis, sive in templum ad orandum, & ad Agapen sive ad mensam & cibum. Ubi primò notes qualia esse debeant Christianorum convivia & Agapæ*, h. e. *non ut obruant corpus, & mentem carne & vino, sed ut colloquiis spiritualibus sese pascant, oblectent, impleant, hymnisq; recreent.*

Deinde

Deinde quod olim adhibita fuerit in conviviis Musica, vide *Psal.* 69. 12. *Isa.* 5. 12. *Amos.* 6. 5. *Marc.* 14. 26. Audi *Cyprian.* epist. ad *Donat.* —— *Nec sit vel hora convivii gratiæ expers, sonet psalmos convivium sobrium, magis pasces charissimos, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo; & ante eum,* Tertullian. *Apolog.* cap. 39. *post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis potest, vel de proprio ingenio provocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit.* At apud nos progeniem vitiosiorem, quantus est ferculorum luxus? qualis & quanta ἀτοπία? quæ impura colloquia? quam lasciva cantica? deicolæ non sumus sed ventricolæ: *Bacchi, Cereris & Veneris* mancipia vera, maximam partem.

Loci paralleli exegesis priori valde affinis esse potest. In priore versiculi parte *Paulus* excitat ad studium & cognitionem Scripturarum: in posteriore ad earundem cognitarum debitum usum. Ac inter usus, hic primus illi est, ut sese mutuò instituant in rebus ad fidem pertinentibus, expromantq; quam ex Scripturis hauserint scientiam ad fratres ædificandos. Horum enim cognitio non est comparata ad inanem ostentationem, ad Sophisticam velitationem, ridiculamve nugationem, sed ad propriam & fratrum utilitatem. Secundus, in illo est, *monentes*, referturque ad mores, h. e. ut secundum Scripturas cognitas, moneant fratres suos de virtutibus exercendis, & vitiis cavendis, peccatisque abrumpendis. Tertius in hoc est, psalmis canentes, qui spectat ad Divini nominis celebrationem. Sed variat lectio, nam quidam Hymnos, Psalmos, Cantica, conjungunt cum præcedentib⁹, *monentes & docentes* putà hymnis &c. Alii verò, nec minus probabiliter conjungunt illa tria cum eo quod sequitur, putà *Canentes*, inter quos sunt *Davenantius* & *Foordus*. Si quis sit, qui obstinatè referat ad præcedentia, interim caveat, ne pu-

tet totam docendi & monendi materiam ex solis hymnis & psalmis petendam: nam ex hoc loco, nemo aliud rectè concluserit, quam quod, cùm inservimus hilaritati, debeamus esse memores mutuæ ædificationis. Obiter hìc unicum præ aliis explicandum venit. Quid sit ἐν χάριτι cantare. Quidam sic reddunt, per gratiam a Sp. donatam. Alii, cum affectu gratitudinis debito. Alii, ut sit, cum gratiosa quadam dexteritate, quæ suâ venustate, suavitate, jucunditate, gravitate, & utilitate auditores alliciat, attrahat, afficiat. ut quod de poëtis fertur, & prodesse volunt & delectare poëtæ. *Diodati* hanc vocem sic hic usurpatam vult. Prout alibi Eph. 4. 29. Summa sit, (exponente *Calvino*,) ut omnes nostri sermones non modo severi, sed & læti ac hilares contineant Dei laudes, resonent utilitates, nihilque vanum sapiant. maximè ne Cantilenæ sint nugatoriæ, ne impuræ in Christi contumeliam, & in religionis ludibrium, qui ἐν χάριτι quod officii est præstãt, eis certo expectandum est, quod ipsorum tenebras in lucem, luctum in lætitiam, suspiria in exultationem, & querelas mœstissimas, tandem sit Christus commutaturus in hymnos Canticaque Eucharistica.

Habita & enarrata in Auditorio Theologico Collegii Regii *Abredonensis* April. 24. 1654.

VINDICIARVM PSALMODIÆ ECCLESIASTICO-DIVINÆ, partis primæ

CAPUT PRIMUM.

PRoponuntur ex Scriptoribus Ecclesiasticis, horum trium, (Psalmus, Hymnus, Canticum) *acceptiones variæ, & differentiæ, una cum* Εωιχρίσει.



Ypomnema. Etimologistæ & *Lexicographi*, rectè notant psalmos Hebraicè dici *Mitzmorim*, Hymnos, *Tehillim*, & Cantica *Schirim*. Ac primò quidem *Mitzmor* latinè notat sermonem concisum, qualis est *Philomelæ* avis cantus concisus, & minuritio ineunte vere. Vide *Brightman* ad CANT. 2. 12. *Tehillim* a radice *halal*, quod Schindlero in suo Pentaglotto est, splenduit, fulsit, luxit, nituit, & in *Pihel*, *Hillel* est laudavit, celebravit, illustravit, decoravit. *Schirim* venit a *Schur*, quod propriè dicitur de Cantu oris cum vocis intentione, ait *Rivet.* in *psal.* 68. Et hæc quidem vocabula *Paulo* hic ex LXXII. sunt ψάλμοι, ὕμνοι, ᾠδαὶ. ψάλμος *Edw. Leigh* in Critic. sac. a ψάω est. Nam fidium tactus est, quando motu leni tango nervum & Chordam. ὕμνος græcis est cantus oris in Dei laudes. ᾠδὴ est per contractionem ab ἀοιδὴ quasi ex *Judah* veniat, quod hebræis est Laus & confessio. Quomodo vero hæ species discriminentur, jam est inquirendum.

Prima sententia est *Hyeronymi* in hunc vers. *Psalmi*, inquit, *Ad*

Ethicum locum pertinent, ut per Organum corporis noverimus quid sit faciendum, quidve vitandum. Qui vero fortitudinem & Majestatem Dei deprædicant, ejusdemque beneficia & facta mirantur, Hymnos esse dicendum est. Sed qui de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumque Creaturarum ordinem & Concordiam subtilis disputator edisserit, iste Spirituale Carmen edisserit.

Secunda est *Basilii* præfat. ad Psalm. PSALMUS *est, qui Organico psalterio pronuntiatur: at* CANTICUM *est vox Musica concinna, & ore tantum decantata.*

Tertia est *Isidor. Hisp.* & *Amalarii*, ille lib. 1. de Eccl. offic. iste lib. 4. de eisdem. *Quod Psalmus sit qui canitur ad Psalterium. Hymnis compungimur ad Dei laudes, ex lectione dictorum & factorum S. patrum. Canticum esse, quando per cantum responsorii oblectantis aures, Mens elevatur ad concentum supernæ patriæ.* vide *Hilar.* pag. 617.

Quarta est *Zanchii* ad locum. *Psalmis* (inquit) *præter vocem adhibentur Organa Musica. Hymni sunt generis Encomiastici, sive voce, sive Organorum modulamine. Odæ sunt solâ voce sine Organo, sed argumenti liberi & varii*, h. e. *quæ contineant preces, doctrinas, laudes &c.*

Quinta est *Alstedii* in paratitlis Theolog. *Psalmus est qui fidibus luditur. Canticum est quod canitur sive vel voce vel fidibus, vel utrisque. ὕμνειν esse Dei laudes ad aras dicere, dicitque esse ᾆσμα παρὰ κρειττόνων.*

Sexta est *Suarezii* Tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis Canon. qui sic discriminat, *Ut Psalmi sint qui in S. continentur. Hymnus sit Carmen Ecclesiasticum non Canonicum, ab Ecclesia & in ea compositum & receptum, ad DEUM laudandum in publico officio. At ut Cantica significent peculiaria Cantica, ad DEI beneficia prædicanda in specialibus occasionibus decantata.*

Septima est *Estii* ad locum. *Quod Cantici nomen sit prorsus generale: quod Psalmus sit ea Cantio, quæ sit Cythera pulsu; Hymni sint merè laudativi.*

Octava est *Gomari* ad locum. *Psalmos genus hic denotare*, h. e. *quasvis Cantiones sacras sive a Prophetis, sive a nobis compositas, sive sola voce, sive Organicas, quorum duos adjungit modos, Hymnos quibus Deum celebramus, & Cantica, quæ Synecdochicè reliquas Cantiones sacras præter hymnos complectitur.*

Nona est

Nona est *Bezæ* in Annotat. *Ut Psalmi sint Cantiones variis scriptæ argumentis; Hymni sint laudum; Cantica sint peculiares & magis artificiosæ Cantiones, quæ formâ quadam augustiori panegyricæ sint, quam vel Psalmi vel Hymni.*

Decima est doctissimi interpretis *Calvini* ad locum. *Ut Psalmus sit in quo concinendo adhibetur Musicum aliquod instrumentum præter linguam. Hymnus sit laudis Canticum, sive altâ voce, sive aliter canatur. Oda non laudes tantum contineat, sed paræneses & alia argumenta.* Ambros. sic. *Hymnus extollit, Psalmus laudat.* Theoph sic. *Hominum est psallere, Angelorum Deum hymnis efferre.*

Ἐπικρίσις I. *Calvinus* optimè omnium sensum assequi videtur Apostolicum. II. Maxima interpretum pars hùc inclinat, ut Hymnus sit Cantio vocalis ἐπαινετικὴ, merè in Dei laudes. III. Non multùm interesse, sive sequamur distinctionem a materia subjecta, a canendi & modulandi modo, a structuræ forma & artificio desumptam: modò teneamus Apostolo institutum fuisse, per hasce voces, omnia Canticorum spiritualium genera complecti, per quæ vult animum regenitum, semet ad Dei gloriam & proximorum ædificationem, adque suam ipsius consolationem, atque in gratia profectū exercere & oblectare, sive per psalmos Eucharisticos, & Epinicios, & Paræneticos, sive per Didascalicos, sive per Propheticos, sive per Schetliasticos, sive per cujuscunque alterius argumenti Psalmos, affectum conceptumque suum gestiat coram Deo efferre, pro varia occasione, pro varia qua utitur rerum conditione, rebus vel prosperis vel adversis, quæ ipsum circumstant.

CAPUT SECUNDUM.

Ostenditur Psalmodiam Ecclesiæ Dei semper in usu vegeto fuisse, idque per omnia & singula sæcula decurrentia.

QUamvis enim huic probando diu immorari, superfluum prorsus sit, attamen aliqua delibabo. Hebræi in profectione Castrorum non attollebant Arcam fœderis nec deponebant, sine Cantico venusto. *Num.* 10. 35. 36.

Psal. 68. 1. Levitæ ex quo in xxiv. distributi sortes, statis aderant horis, qui coram Domino, audiente populo, insignia beneficia suæ collata genti commemorabant. Quam magnus & frequens ejus usus in populo Dei fuerit, hinc etiam pateat, quòd Patres-familias agitantes inter suos, dies solennes, hymnos cecinerint. vide *Matth.* 26. 30. Cui subdas varia documenta ex hisce locis, *Jacob.* 5. 13. 1. *Cor.* 14. 26. *Act.* 16. 25. *Luc.* 2. 14. *Apoc.* 5. 9. *Eph.* 5. 19. *Col.* 3. 16, Quam vetusta sit hujus artis origo, audiatur *Eusebius*, lib. 11. de Præpar. Evang. *Floruit*, inquit, *apud vetustissimos Hebræorum, qui multo ante Græcorum Poëtas fuere, Nam* Moses Magnus Hebræorum Imperator, *Cum ex Ægypto eos in patriam reduceret, statim atque mare rubrum egressus est, divinitus cadentibus aquis, divino numine afflatus, Hexametrum Carmen (ita nominat* Iosephus 2. Antiq.*) quo Deo gratias ageret, edidit, post quem divina fidicen lyra* David, *hymnos vario metro, alios trimetros, alios quinquimetros composuit. Sed* Isidor. lib. 1. Offic. Eccl. cap. 4. 5. 6. *clarius*. Canticũ *primus invexit* Moses, Exod. 15. *Deinde* Debora Iud. 5. Psalmographus *primus* David, *qui vere Musurgus, Princeps Cantorum suadæque medulla dici promeruit, psalmis amœnus*, 2. Sam. 23. 1. *Vel brevius sic. Epinicion seu Carmen triumphale adinvenit* Moses, *Hymnologiam* David, *Epithalamium* Solomo, *psal.* 45. *Amatorium intemeratum* idem. *Threnodicum* Ieremias, *Antiphonas* Græci, *Responsoria* Itali, *Alterna* Damasus &c. Ibid. *Et post hos, sunt & humano ingenio compositi, inter quos Præcelluere* Hilar. Pictau. Ambros. August. Prudent. Prosper, Iuvencus, Arator, Sedulius, Rusticus, Gregor. M. *Et apud Græcos*, Synesius, Nonnus, Greg. Nazianz, Clemens. Sanior antiquitas Christiana decrevit in suis synodis, ut *Hymni* singulis diebus decantentur in Ecclesiis, idque exemplo Christi & Apostol. vide *Conc. Agathens.* cap. 21. Et *Tolet.* 4. cap. 12. *Tertull. Apolog.* cap. 39. exertè meminit Cantus Ecclesiastici tum usitati. *Ambros.* in Orat. de tradend. Basilicis, tuetur hymnos Ecclesiasticos contra *Arianos*. *Epiphan.* lib. 3. contra *Hæreses*, ostendit quòd Hymni matutini, lucernalesque psalmi & orationes perpetuò in Ecclesia fiunt. Refert *Philo Judæus* de Christianis quod orationi & psalmis in suis cœtibus semper vacarent. Notum satis est, quod narrat *Socrates* lib. 6. cap. Hist. Eccl. de visione *Ignatii* pro psalmis habendis. Multus est *Augustinus* lib. 10. Confess. cap. 33. in recensenda psalmodia *Athanasio* usitata in Ecclesia *Alexandrina*. Ad quod vide

& *Calvin.*

& *Calvin.* lib. 4. Iust. cap. 20. & *Centuriatores.* CENT. 4. p. 414. Omitto Prophetarum divinos Hymnos, κύκνειον, etiam ᾆσμα *Iacobi, Simeonis, Mosis,* aliorumque, cum in propatulo res sit. Quam à natura rectè instituta hæc res sit, audiamus testes duos omni exceptione maiores. Ac primò P. MARTYREM, L. C. p. 1241 *Quod attinet Carminum & Musices ortum, sciendum est, Veteres cum & Deo gratias agerent, & cum ab eo aliquid impetrare niterentur communibus votis carmina quædam solennia adhibere consueviſſe.* Quocirca ORPHEUS, PINDARUS, LINUS, HORATIUS, ANACREON, & consimiles Lyrici Poëtæ, *plerique; suos Hymnos in hos usus conscripserunt. In Rep.* Romana, *Sacerdotes* MARTIS, *qui* Salii *dicebantur gestando ancilia, suos per urbem versus decantarunt, præsertim vero in conviviis laudes fortium virorum & illustrium celebrabantur, quo astantes commonefierent, ut eorum præclara gesta imitarentur, & vitia quæ cum eorum virtutibus pugnarent detestarentur.* Deinde POLYDORUS VIRGILIUS ostendit eam à natura datam hominibus, siquidem homo statim natus, cum in Cunis vagire incipit, continuò nutriculæ cantitantis voce sopitus dormitat; deinde quod vel rudis aliqua modulatio, in omnibus operibus reficiat remiges, aratores, aurigas & soletur. POLYBIUS, inquit, vult *Mercurium* adinveniſſe vocum Harmoniam, seu dissimilium Concordiam. At *Josephus* in suo Antiq. primo, *Jubali* filio *Lamechi* primàs & rectè tribuit. *Orpheus,* inquit, non modo agrestres demulsit homines, sed & cantus suavitate, feras, sylvas sequentes & saxa circumduxit. At valde memorabile est quod subdit. *Sed unde quæso ille avium concentus, quo omnis resonat suo tempore ager? Ecquis docuit luscinias varios canendi modos? Hæc enim avicula sonum edit perfectâ Musicæ scientiâ modulatum, qui nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur concisio, copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuscatur, ex inopinato. Interdum & secum ipsa murmurat. Et breviter, audire licet omnia, tam parvulis in faucibus concini, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis, ut ait* Plinius, *ars hominum excogitavit. Harmoniæ hujus natura Magistra est, quæ vel ab initio animantes alias, quibus ad sonum quempiam vox apta est, Musicam docuit, atqui hæc est vera artis origo.* FRANZIUS in sua historia Animalium sacra, refert quod Alauda & Luscinia nunquam capiunt cibum, antequam cecinerint, *Part.* 2. Multa narrantur de pisce Delphino, quod sit Canticorum peramans. Quando *Aristotelis* tempore disputatum

fuit, an & propter quid discenda sit Musica? Resp. *Aristot.* 3. Polit. cap. 8. eam a veteribus inter disciplinas ut liberalem & honestam relatam, ad intellectus perfectionem, & componendos animi mores: ostenditque varios cantus modos, putà *Lydium*, *Æolium*, *Doricum*, & *Phrygium*, maximè valere ad affectus disponendum vel ad tristitiam, vel ad molitiem, vel ad mediocritatem, vel ad animositatem, ubi necessitas flagitat. Adeo ut in extrema senectute sua *Socrates* hanc artem didicerit. Refert & *Keckermannus*, Curs. Philos. disp. xxviij. ex CICERONE, quod *Epaminondas* senex lyram pulsare non recusârit, & quod *Themistocles* eandem detractans habitus fuerit indoctior.

CAPUT TERTIUM.

Ostenditur, quàm procaciter Varii infectati sint Psalmodiam Ecclesiasticam, eorumque argutiolæ diluuntur.

HERculem quis vituperat? *Respond.* 1. Sunt Hæretici qui psalterium negant ullo spiritu Prophetico conscriptum vel cõditum: quodque nihil præter humanas quasdam poëtarum cantiones contineat. *Philastrius*, cap. 127. Catol. Hæres. Attribuit hanc hæresin *Nicolaïtis*, *Gnosticis* & *Manichæis*. 2. AUGUST. lib. 2. Retract. cap. 11. Refert *Hilarium* quendam Tribunitium, odio Sacerdotum, acerbiùs solitum fuisse improbare psalmorum Davidicorum decantationes. Contra quem se scripsisse librum de Cant. Eccl. qui jam desideratur. 3. Idem error ab *Euseb.* lib. 7. cap. 25. tribuitur *P. Samosateno*, hic enim inquit, psalmos qui in Dominum nostrum Iesum Christum dicebantur, cessare fecit, velut Neotericos. Sed a semetipso compositos, mulieres a se prius institutas, in medio Ecclesiæ canere jussit. BARONIUS ad ann. Christi 272. n. 7. sic refert, *abrogatis laudibus Christi, in se compositas cani statuit, ad quod subornavit Mulierculas.* 4. *Ariani* omnibus eis Canticis sacris detraxerunt, quibus Christus laudabatur, quem in omnibus depressum cupiebant. Quod ex *Ambrosio* contra *Auxentium* notat *Alph. à Castro* lib. 4. cont. hæres. Voce *Cantus*. 5. Et quidam sunt, annotante *Mollero* præf. ad psalmos, qui *Phocylidis*, *Pindari*, *Hesiodi*, *Pythagoræ*, similiumque poemata psalterio præferant: in quo tum & suam produnt

dunt inſcitiam, tum & Eccleſiæ doctrinam inſigni afficiunt contumeliâ: Cum illi Scriptores nihil dicant de vero Deo, nihil de *Meſſiæ* ejuſque beneficiis. 6. Sunt & qui pſalmodiam publicam damnant, quales de *Anabaptiſtis* quidam, quos poſtea refutabo. Quod attinet noſtras novas *Helenas*, *Maximillas*, *Philumenas*, quâ in theſi, quâ in hypotheſi pſalmodiam irridentes, ipſarum rationes æquâ penſitatæ bilance, deprehendentur nullius eſſe ponderis. Earum præcipuas ad examen revocemus. Idem faciebant *Donatiſtæ* teſte *Auguſt.*

Objectio prima. ELIAS, inquiunt, 1. *Reg.* 18. 27. Irridet Sacerdotes *Baal*, clamate, voce majore &c. *Reſp.* 1. Non irrideri ab eo ſimpliciter quod clamarent, ſed quod ſurdum & ſtercoreum deum *Baalem* invocarent. 2. Si clamor ſit *Baaliſmus*, tum jure reprehendi poſſe *Cananæam*, quæ altâ clamavit voce, *Matth.* 15. 22. Deinde *Eſaiæ* præcipitur ut gutture exclamet. *Eſa.* 58. 1. *Inſtant*, At clamare eſt *Phariſaicum*, Matth. 6. 5. *Reſp.* Non ibi damnari clamorem, ſed errorem, non damnari opus, ſed intentionem, h. e. ab hominibus videri. Sicut Ethnici.

Object. 2. Ab exemplo *Annæ*, 1. SAM. 1. 13. Orantis in corde ſuo. *Reſp.* cum BELLAR. lib. 1. cap. 17. Alia eſt ratio orationis privatæ, alia publicæ vel divinarum laudum quæ communiter debent celebrari. *Aquinas* rectè notat ad *Eph.* 5. 19. Hunc fuiſſe quorundam hæreticorum errorem, quod ſolo corde canere debeamus. Quod verò ibi *Paulus* vult ut canamus corde, dico ad hominem hoc rectè præcipi, quamvis cantet nemo ſine voce. Utrumque in cantu adeſſe debet, h. e. Ut non ſolo corde, nec ſola voce canamus.

Object. 3. Romanam Eccleſiam puriorem non ſolitam fuiſſe canere. *Reſp.* Hoc omnino gratis aſſeri, ſine ulla ſpecie veri, ac contra totius antiquitatis perpetuum conſenſum. Nam dato quod Organa ſint ſeriùs in eam introducta Eccleſiam, putà vel circa ann. Dom, 660. ſecundum *Platinam*, vel circa ann. 820. ſecundum *Aimonium*, cap. 114. de geſtis *Francor.* Attamen Hymni dicti antelucani, & Lucernales erant indies decantati.

Object 4. WALDENSES & WICLEFISTAE damnabant Cantum Eccleſiaſticum. *Reſp.* Damnari ab eis ſequiorum Romanenſium Cantica ſuperſtitioſa, Idololatrica ab hominibus adinventa; neutiquam verò Scripturalia, quæ ſæpiſſimè canebant, quâ in templis, quâ in cavernis. Memores ſatis erant ejus quod præcipit *Apoſtolus*, tum &

quod legimus, *Conc. Tolet.* 4. cap. 12.

Object. 5. Inquiunt, *Aristoteles* dixit, *Jupiter* nec canit nec cytharam pulsat. Et post eum *Alexander M.* dixit, *Achillis* cytharam volo, non *Paridis*. *Resp.* 1. ex psal. 137. Siccine divinos *Babylon* irrideat hymnos? 2. Quòd tum quæstio fuit, An Principis personam Musica deceat? Et conclusio fuit, quòd Musica Regis aut nulla, aut exigua esse debet, & quod non sit ex decoro Principem fidibus ludere. Vide *Keckerm. Syst. Pol.* lib. 1. cap. 3. Dedecori quidem fuit *Neroni* quod melior fuit Modulator quã Moderator. Vide *Mutendorp.* de eo.

CAPUT QUARTUM.

Probatur contra Sectarios quod Psalmodia Ecclesiastica sit etiamnum licita.

Argumentum nostrum *primum* hoc sit. Si in V. T. Psalmodia annumerabatur institutis divinis, nec sit per ullam sive explicitam sive implicitam interdictionem prohibita, tum & recte annumeranda est institutis divinis T. N. Atqui prius est verum. *Ergo.* Certè verbi pura prædicatio, oratio publica, Censurarum usus, sigillorum administratio, tum rectè viguere, & adhuc rectè vigeant, cur non pariter & psalmodia? *Regerunt*, Psalmodiam externam vocalem jam abrogatam esse, (utut præcepta fuerit in V. T.) quia fuit quid typicum. *Resp.* 1. In hoc principium peti. *Doctorculi* hi asserunt at non probant vere typum esse, si dicant internæ fuisse, regero Indicem ejus esse concedi, at non est magis typus quam baptismus est. At 2. Quæro cum *Cottono*, p. 24. vind. psalmod. Quando *Paulus* & *Silas* cecinerunt Deo laudes, *Act.* 1. 16. 25. An tum cum essent soli, rectè hæsissent in typo? quis credat? Certè utraque cantio, oris & cordis ut tum necessaria & licita, sic & nunc est, eritque.

Argum. II. Si licitum sit, ut unus psallat, ad affectus spirituales commovendos, ut est *Jacob.* 5. 13. Quidni & pariter ut duo, uti est *Act.* 16. 25. Quid impedit quin & plures, sicut concinerant Christus & Apostoli. *Matth.* 26. 30.? Quod si hoc demus, quidni & Ecclesia magna ex pluribus conflata? Affectus mutui plurimorum ad idem,

idem, sanctâ quâdam conspiratione, prævalentiores & fortiores erunt, adeoque adjumento maximo, huic divino instituto peragendo, juxta illud. Virtus unita fortior.

Argum. III. Cum ad *Eph.* 5. 15. 16. Iubeat ut redimamus tempus, & ut ambulemus circumspectè διδάσκειν ἑαυτοῖς, cur non & loqui psalmis ἑαυτοῖς h. e. ἀλλήλοις, ut vertit *Beza.* Quod certè fecerunt *Paulus* & *Silas.* Act. 16. 25. Deinde si in Epistol. ad *Gal.* & ad *Col.* cap. 2. præcipiat probetque Ceremoniarum abrogationem, attamen obnixe hortetur ad psalmodiam, quænam reddi potest ratio hujus prætensæ abolitionis? Hæc duo prorsus sunt compatibilia, ore cano, corde cano. Sicut ore oro, & corde oro, corde credo & confiteor ore, & auribus audio.

Argum. IV. Idem Apostolus ad *Philip.* 4. 4. & ad 1. *Thess.* 5. 16. Vult ut in Domino semper gaudeamus. Quæro annon consentaneū est, ut tam sancti affectus sint aliqua ejusdem expressiva Indicia. Si sit indesinenter orandum, idque tam ore quam corde pro occasione data, quidni & gaudendum? *At qui est hilaris psallat. Iacob.* 5. 13. *Psal.* 125. 2. Cum voces sint Symbola rerum, quidni gaudii spiritualis interni sit canticum externum spirituale? *Ainsworth. Calvin. Diodati* applicant hæc tria loca *Psal.* 96. 1. 2. *Esa.* 12. 3. 4. *Ierem.* 31. 1. 2. 3. ad tempora *Messiæ.*

Argum. V. Si Psalmodia sit una peculiaris pars cultus divini ad quā præstandam, ipsa æquitas, ipsa gratitudinis ratio requirit, tum non est eliminanda cœtibus Christianorum, atqui prius est. *Resp.* illi, *Davidem, Christum*, Apostolos & alios Deo gratias egisse, non vero cecinisse. *Resp.* 1. Quod cecinerit *David*, ipsum ipsiusque Paraphrasten audiamus. Psal. 33. 1. *Æquitatis hoc Carmen decet æmulos* & Psal. 30. 12. *Te nostra semper Carmina, — vox tibi serviet dicata.* — Psal. 34. 1. *Semper illius os meum personabit laudibus.* Ps. 103. 1. *Sit Parens rerum mihi carmen,* — Psal. 104. 1. *Te rerum Deus alme canam.* — Psal. 105. *Canite Dominum.* — 2. Christum cum suis hymnum cecinisse, Apostolosque præcipisse, res clara est. *Hymni autem illi*, teste August. *sunt Dei laudes, & si sit laus & non Dei sit, non est hymnus, & si sit laus & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus.* Hæc enim tria requirit hymnus, *& laudem, & Dei, & Cantum.* Vide & hymnos Propheticos, *Esa.* 12. *Esa.* 26. Quoties in uno eodēq; contextu conjunguntur & interseruntur hi hymni cum orationibus

in Psalterio? Ut necesse fuerit auferenti cantica, eadem operâ, ut & Sanctorum preces interspersas, de medio tollat. Qualis & quanta apparuit olim Dei gratiosa præsentia in talibus institutis abunde testatur *August.* lib. *Conf.* 9. cap. 6. & 10. c. 33. quamque hujus sacer usus quâ privatim quâ publice, nostris hisce temporibus, sit a Deo benedictus, tam nota res est, ut immorari huic diutius superfluum fuerit. Et quia pars cultus debiti est, ideo vovetur *Psal.* 137. 6. *Prima mihi vestra nisi sint præconia laudis.*

CAPUT QUINTUM.

PRoponuntur quorundam veterum Patrum & modernorum Theologorum aurea sententia de Psalmorum & psalmodiæ utilitate.

AUGUSTINUS lib. 10. *Confes.* cap. 33. *Adducor Cantandi consuetudinem in Ecclesia approbare, ut per oblectamenta aurium infirmus animus in affectum pietatis assurgat.* Ibid. *Cum reminiscor lacrymas meas quas effudi ad cantus Ecclesiæ tuæ (o Deus!) in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoveor non Cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & convenientissima modulatione canantur, magnam instituti hujus utilitatem agnosco.* Idem in Tract. de Psalmorum effectibus salutaribus. *Canticum Deum ostendit, diabolum offendit, voluptatem illicitam extinguit, asperitatem ejicit, omnem furorem deprimit, iracundiam frangit, cor latificat, sensus aperit, animam impinguat, ignem spiritualem in corde accendit.*

BASILIUS in Proæm ad psalm. *Psalmus est quoddam amulatum profligendis dæmonibus, scutum securitatis inter timores nocturnos, divinorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, ætatis florentis ornamentum, serium solamen, denique est mundus mulieribus exornandis appositissimus. Quid porro hinc non possis edoceri? non fortitudinis magnificentiam? non exactam justitiæ severitatem? non temperantiam vel ipso aspectu venerabilem? non pœnitentiæ formulam? non modum patientiæ? Hic habes perfectæ Theologiæ reconditum Thesaurum, hic de Christi in carnem adventu oraculum, Resurrectionis spem, comminationem Iudicii, terrorem intentati suppliciii, gloriæ promissionem, & revelationem Mysteriorum.*

Chrysost.

Chrisost. Hom. in psalm. 110. (cito etiam latinè) *Suavius spirant Psalmi horto vel prato. Hic flores invenias sed tempore marcescentes, illic sunt sententiæ in nativo colore permanentes: hic aspirat Favonius, sed illic aura Sp. Sancti, hic cicadæ stridore suo obstrepera, illic Carmina suavi Iubilo personantia: hic ex aspectu ipso, quiddam delectationis percipitur, illic ex ipso auditu plurimum decerpitur utilitatis. Hortus uno quodam circumscribitur loco, hymnorum verò Melodia, nullo non loco terræ habitabilis circumfertur.*

Iustin. Mart. in resp. ad q. 107. *Cantus Ecclesiasticus excitat cum voluptate quadam animum ad fragrans ejus desiderium quod carmine celebratur: & in rebus omnibus quæ piis eveniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.*

Isidor. lib. 1. Origin. *Sed & quicquid loquimur, vel intrinsecus venarum pulsibus commovemur, per Musicos Rythmos, harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum.*

Audiamus & Modernorum Theologorum encomia. *Zanchius* ad locum: *Multiplex & magnus est Musicæ Ecclesiasticæ usus* 1. *Sic Dei gloria redditur illustrior, sic enim magnificentius celebrantur Dei laudes.* 2. *Cum humanus animus totus sit Musicus, ut ait* Plato, *mirum in modū ea afficitur & oblectatur. Hac* Elizæi *turbatus spiritus levatus fuit.* 3. *Exhilarato corde nostro, Spiritus S. in nobis inhabitans, quodammodo excitatur ad dona sua efficaciùs in nobis exerenda.*

Calvin. lib. 3. Instit. cap. 20. §. 19. *Et certè si ad eam quæ Dei & Angelorum conspectum decet, gravitatem attemperatus sit cantus, tùm dignitatem & gratiam conciliat sacris actionibus, tum ad excitandos in verum prædicandi studium ardoremque animos plurimum valet.*

Bodius ad locum. *Certè sicut sapores & odores nonnulli, gustui olfactuique pergrati accidunt, qui nempe cum sensuum horum sensoriis, aut spirituum etiam nostrorum temperie, certam habent συμμετρίαν & proportionem, alii autem insuaves & aversandi qui a spirituum nostrorum proportione nativa, vel Organorum sensilium longiùs recedunt, aut etiam penitus abhorrent: sic etiam aptos modulorum concentus, ad animum nostrum varie movendum atque flectendum, plurimum posse manifestum est, eosque forsan ad effectus nostros aut ciendos aut sedandos conducere, qui cum eisdem occultam quandam habent sympathiam.*

Amesius lib. 4. cas. Consc. cap. 19. *Cantus supra communem pronuntiationem affert piis animis suavem quandam delectationem, meditationem*

tionem etiam habet magis distinctam & fixam, habet & magis copiosam pietatis professionem, majoremque habet mutuæ ædificationis communionem si cum aliis fiat.

Foordus Vindic. Psalmod. p. 78. *Psalmodiæ usus unus est, nobis instruendis scilicet & movendis, ideo multis præfigitur* Maschil. *Alter laudib⁹ Dei concelebrandis, ut* psal. 126. Exod. 15. Iud. 15. *ad quod sunt Deiparæ, Zachariæ &c.* Tertius *Est afflictis solandis & erigendis, sic se* Lutherus *solabatur* psal. 46. Quartus *Satanæ insultibus amoliendis; refert* Athanasius *quendam a Satana diu graviterque tentatum tandem levatum decantando* psal. 68. 1. 2. *Ad quod ait* August. Tom. 8. p. 730. *Piè debes Domino exultare, si vis securus diabolo insultare.*

Bellarm. lib. 1. 16. de bonis Operib. *Utilitas prima est. Pia Cantica non parum accendunt audientium animos.* 2. *Facilius & libentius Dei laudes persolvuntur, quando officium divinum prolixum & grave, quadam cantus jucunditate conditur.* 3. *Sic confitemur fidem nostram, quando non erubescimus coram Ethnicis & Hæreticis, non dubitamus, ab eis irrisa, cantibus & versibus celebrare. Ad quod vide* Ruffin *lib.* 1. Hist. Eccles. cap. 35. 36. & Theod. *lib.* 3. cap. 17. 4. *Ut sic testemur Legem Dei nobis non gravem sed suavem.* 5. *Ut Deo nostro perfectum omni ex parte reddamus obsequium, dum & animo, ardentissimis votis, & corpore clarissima voce laudes ejus celebrare contendimus. Et ad* psal. 91. *Horum Carminum ea est utilitas, quod Deus dulcissimis verbis præcepta sua etiã conscribi voluit, (quæ perditi homines aliàs vix audient) ut cum lætitia & delectatione canendo & ludendo, quæ nobis sunt utilia, discemus. Ut prudentes Medici salutari medicamento attamen amaro aliquid mellis admiscent,*

Valentian. Tom. 3. d. 6. q. 3. *Cantu laudare Deum utile est, ad excitandum interiorem affectum tam proprium quam aliorum. Deinde ut quanto magis mens ad Deum ascendit adjuta & concitata Canticis, tanto magis a peccato retardetur.*

Goodwin. p. 299. dom. Relig. Rediv. *Actus ritè canendi est* 1. *Deo acceptus,* 2. *Est actus cœlitum conditioni approportionatus.* 3. *Est actus unitatis & consensus, ideo dicitur in corde in singulari.* ὁμοθυμαδὸν. 4. *Est actus alacritatis & lætitiæ.* 5. *Est homini lucrativus.* 6. *Est actus satanæ provocativus.* Lutherum *amicis astantibus dixisse narrant, Cantemus* psal. 120. *vel invito diabolo.* 7. *Est actus in se pretiosus omninò. Vide hæc loca* psal. 69. 31. Apoc. 4. 8. 9. 10. *&c.*

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

Deteguntur notabiles varii abusus Psalmodiæ Ecclesiasticæ, Ostenditurque quomodo sit eis præcavendum.

FR. SUARES & VALENTIANUS, satis perspicue in Thesi monstrant, quando Cantus Eccl. fit illicitus & indecens. Ille lib. 4. cap. 13. de horis Canon. p. 210. docet hoc contingere duobus modis. 1. *Ratione materiæ, quia est res profana.* 2. *Ratione soni, quia est lascivus & valde secularis. Hic* disp. 6. q. 9. *Cantus potest esse illicitus, si admisceantur vana, turpia & profana in divinis officiis, quæ tripliciter possunt admisceri.* 1. *Formaliter & ex intentione,* h. e. *Cum quis miscet illa ut vana sunt, tanquã partem officii divini. Secundo modo contingit ista admisceri materialiter tantum,* h. e. *Non tanquam partem cultus divini, sed applicando solum materialiter illam consonantiam ad verba divina, qua sunt dicenda. Tertio modo potest contingere si velit quis profana Organis significare, sed tamen non velit ea inserere tanquam partem cultus, sed solum delectationis gratiã, tanquam quid impertinens ad cultum divinum.* Quam verò turpiter erraverit, & scandalosè peccarit Ecclesia Pontificia in actu exercito circa hoc punctum, palam satis faciunt scriptores Pontificii. Cito primò *Lindanum,* qui Panopliæ suæ lib. 4. cap. 74. sic infit. *Non enim nunc suo Cantu Musici, auditorum animos tam ad pietatis studium, cœlestiaq; excitant desideria, quam avocant, retardant, alienant. Scio enim aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimè auscultarem, ecquid fortè psalleretur: me ne vel unũ potuisse intelligere verbum, ita erant omnia syllabarum repetitionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, quã cantu obscurata. Nunc enim audire est lætissimos divinæ laudis hymnos, tristissimis contaminari Musicorum modulis: Contrà, Lugubres Ecclesiæ threnos, lætissimo effusos modulamine, quid quod divinos hymnos, non modo theatricis, adeoque bellicis, & si dicere fas est Gaillardicis contaminant modis, sed Venereis quoque conspurcant & Amatoriis?* Succedit Cassander, *hic* in præfat. ad hymnos Eccl. recognitos, sic. *Verum dupliciter hic peccari video, alibi enim multiplicium & dissonantium vocum confuso strepitu verba discerpuntur, lacerantur & penitus enecantur & obruuntur: & ad auditores præter inanem vocum tinnitum, qui aures vanã quadam titillatione demulceat nihil pertingit, quod nostris hominibus est maximè familiare. Alibi*

vero contrario laboratur vitio, sunt enim qui agresti & inamabili quadam vocis contentione, & ad feritatem barbaricam composito sono boant, mugiunt, latrant, frendent & rudunt, & quidvis potius quam canunt, qui in hymnis Deo decantandis, Tartaricos quosdam & Panicos clamores exprimunt. (Utrũque vitandum docet) Succenturiet Corn. Agrippa *cap.* 17. de vanit. Scient. *Hodie vero tanta est in Ecclesiis Musicæ licentia, ut una etiam cum Missæ ipsius Canone, obscœnæ Cantiunculæ interdum in Organis pares vices habeant, ipsaque divina officia & sacræ Orationum proces, conductis magno lascivis Musicis, non ad audientium intelligentiam, non ad spiritus elevationem, sed ad fornicariam pruriginem, non humanis vocibus, sed belluinis strepitibus cantillant, cum hinniunt Descantam pueri, mugiunt alii Tenorem, alii latrant Contra-punctum, alii boant Altum, alii frendent Bassum, faciuntque ut sonorum quidem plurimum audiatur, verborum & orationis intelligatur nihil, sed auribus & animo judicii subtrahitur authoritas. At vero quid inutilius quid contemptibilius istis cantoribus, tibicinibus & reliqui generis musicis, qui tot vocibus canentium, præcinentium, occinentium, concinentium, decinentium, intercinentium, universarũ avium garritus vincentes venenata quadam dulcedine velut Syrenes hominum animos lascivientibus vocibus, gesticulationibus ac sonis præstigiant & corrumpunt?* Polydor. Virgil. lib. 6. cap. 2. de Invent. sic morem consuetũ exprimit.——*Unde eo ventum est, ut apud vulgus omnis ferè cultus divini ratio in istis cantoribus sita esse videatur: quos bona pars ut audiat, in sacras ædes velut in theatrum concurrit, eos pretio conducit, eos fovet, eos denique solos ornamento domui Dei existimat: nam molliores & delicatiores in cantu flexiones, & fictæ voculæ vulgus magis delectant, quã certæ & planæ, & ei gratior est sonus, qui e tremulo gutture funditur, quam qui cum gravitate edutur.* Quod ipsum cernere fuit in Cathedralibus Hierarchicorum in Anglia & Hibernia non ita pridem quæ omnia jam jure merito explosa & exsibilata sunt.

At, quod fidem penè superat, audiatur Canon. 14. Conc. 11. *Turon.* ut omnes sciant quam superstitiosi sint Pontificii in suis canticis humanis decantandis. *Itemque pro reverentia Dom. Martini vel cultu & virtute, id statuimus observandum, ut tam in ipsa Basilica sancta, quã in Ecclesiis vestris ipse psallendi ordo servetur; ut in diebus æstivis ad Matutinum, sex Antiphonæ binis psalmis explicentur:* toto Augusto *Manicationes fiant, & Missæ* Septembri *septem Antiphonæ explicentur binis psalmis,* Octobri, Novembri, Decembri, Januario & Febr. *pariter*

usque

usque ad Paſcha. *&c.* *ὁ τῆς φλυαρίας* ! audi ad hæc *Barel.* judiciū. cap. 16. *Icon. Animorum.* ——ſed tantillo penſo defuncto, credunt ſe nihil cœlitibus debere, opeſque infularum bono jure ſibi emptas.

Sed quomodo malo huic tam peſtifero ſit obviam eundum optimè explicant Theologi tum recentiores, tum veteres, tam & concilia.

P. Martyr ad tertium præceptum, tria repurganda in Pſalmodia docet. 1. Quod ea invocatio ſit gratior quæ fiat cantu. Item quod indulgentiæ ſint concedendæ audientibus Miſſas decantatas. Faceſſat hæc Idolomania ab Eccleſia Dei. Inſtitutus namque eſt Cantus ad pias mentes magis excitandas, non ut eò plus apud Deum mereamur. (quam vim meritoriam attribuant Pontificii Hymnis, Cantiſis, Antiphonis, reſponſoriis, Capitula officiorum, Roſaria, horæ Canonicæ ipſorū ſatis ſuperque commonſtrant.) 2. Talis qui in uſu eſt tollatur, & ſimplicior inducatur. h. e. Illa Muſica fracta, quæ in fragore potius quam fervore conſiſtit utilitatis nihil, at plurimum damni habens. Cum reboantium voces & modulationum infractiones & minurizationes & inſtrumentorum Pneumaticorum concentus & ſermo latinus ac barbarus impediant, quo minus quicquam percipiat populus ex eis quæ cantantur in choro. 3. Ne tantum detur cantibus, ut nullus ſit locus prædicationi verbi, quod vulgò fit: Hinc populus Muſicis & harmoniis plenus diſcedit, famelicus tamen & Ieiunus quoad cœleſtem doctrinā. Dum lauta & munifica ſtipendia Muſicis conſtituuntur, ut Miniſtris in verbo Dei laborantibus parum aut nihil fere proſpiciatur.

Calvin. lib. 3. Inſtit. cap. 20. Sic vult huic morbo ex *Auguſt.* & *Athanaſio* proviſum. *Cavendum tamen diligenter ne ad Modulationem intentiores ſint aures, quam animi ad Spiritualem verborum ſenſum, quo periculo permotum ſe alicubi fatetur* Auguſtinus, *ut interdum optaret morem inſtitui, qui eſt ab* Athanaſio *obſervatus, qui lectorem jubebat tam modico vocis inflexu ſonare ut pronuntianti vicinior foret quā canenti.*—— Ibid. *Cantus merè compoſiti ad ſuavitatem auriumque oblectationem, nec Eccleſiæ majeſtatem decent, nec Deo non magnopere diſplicere poſſunt.*

Apollonius p. 171. Conſider. q. 2. *Rejicimus tales formulas, quæ quoad materiam ſunt vitioſæ, non enim permiſſum eſt, ut in aliqua parte cultus divini, aliquid ſit illegitimum, impertinens, ac indecorum, quod vel ſuperſtitionem, Idololatriam, hæreſin, vel carnalem profanitatem, vel typhum mundi ſapiat. Rejicimus etiā formulas, tyrannicè ac violento im-*

perio impositas hominum conscientiis ut absolutè necessarias tanquam partes cultus divini essentiales, cum quoad formam quæ inducuntur, sunt illegitimæ crudelitatis instrumenta.

Danæus Isagog. p. 4. cap. 26. *Cantus Ecclesiæ olim non erat varius & dissonus, ex quatuor vocum Symphonia & concursu, sed erat simplex. Deinde a* Gregor. 5. ann. 735. *Invectus est ille Cantus qui dicitur Musicalis, ubi sunt Cantores & Musici symphoniaci, quæ certè mera est corruptio carminis Ecclesiastici, & nihil habet pietatis, sed totus est compositus ad aurium oblectationem.*

S. Maresius Controv. 16. contra Tirin. *Acutè ostendit quod sordes nostræ spirituales alio sœgmate, quam ejusmodi cantillationib⁹ sint eluendæ.* Est & *Anonymi* Pontificii prostans liber, inscriptus, Consultatio de horis Canonicis reformandis, in quo probat quod ejusmodi Cantillationes cordatum virum nec instruant, nec ædificent, sed quod disturbent, fastidioq; onerent. At multo æquus fuerit, *Cantus, Ceremonias, Festa, ut coaptentur divinæ meditationi & auditorum ædificationi.*

Keckerman. Syst Physici lib. 4. cap. 8. *Musica hodierna est planè contra principia istius disciplinæ.* 1. *Quia non audiuntur verba illa, quæ sono sunt afficienda.* 2. *Quia diversissimis & contrariis rebus atq; affectibus idem sonus accommodatur. Nam Melodia est accommodanda rebus & affectibus. Si enim eodem Tono iratus, miserans, petens & exprobrans loqui vellem, nihil esset.*

Clemens Alexand. Pædag. cap. 4. *Sicut admittimus Harmonias modestas & pudicas, sic molles & enervatas longissimè amandamus. Graves cantus protervia & ebrietati valedicunt. Chromaticæ igitur Harmoniæ, impudenti in vino protervia, floribusque redimitæ & Meretricia Musica sunt relinquendæ. Absint procul Amatoria carmina.*

Cyprian Epist. 2. ad DONATUM. *Sonet Psalmos convivium sobrium, ut & tibi tenax memoria, vox canora, aggredere hoc munus ex more, magis carrissimos pasces, si sit spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.*

Hieron ad *Ephes.* 5. 19. —— *Nec in Tragœdiarum morem, guttur & fauces medicamine lenienda sunt ut in Ecclesia Theatrales moduli audiantur.*

Concil. Constant. VI. in Trullo celebratum cap. 57. — *Eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus (βοαῖς ἀτάκτοις) uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum,*

eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, nec apta sunt asciscere: Sed cum magna attentione & compunctione Psalmodias Deo, qui est oculorum inspector, offerre. Vide & Tom. 11. Conc. Binii. p. 2. p. 528. *Quod Cantica sæcularium non sint cantanda, in & circa Basilicas.*

CAPUT SEPTIMUM.

Probatur quod etiamnum concini debeant Psalmi Davidis, Mosis, *aliorumque Psalmographorum* T. V. *Et ad examen revocantur Argumenta in contrarium.*

MUlti qui ultrò psalmodiam licitam concedunt, negant tamen in specie Davidicos &c. decantandos. Contra quos sit hæc nostra *Ratio prima*, videri quod ad ipsorum usum hortatur Apostolus tum ad *Ephes.* 5. tum ad *Col.* 3. Cum dirigat ad illos ipsos titulos expressè quibus insigniuntur psalmi *Davidis*. Quod si ad titulos dirigat, quidni etiã ad ipsos? Quod si ad ipsos tum certè in cœtibus Christianis T. N. Cani possunt & debent. *Ratio secunda.* Psalmi *Davidis* indubiè sicut aliorum dictati erant a Spiritu Sancto, hoc patet 2. *Sam.* 23. 2. *Psal.* 40. 3. 2. *Pet.* 1. 21. *Matth.* 22. 43. *Luc.* 1. 67. & 41. *Ratio tertia.* Fideles in suis Canticis usi sunt exertè eisdem verbis, quibus antea Davidici erant compositi & exarati. Vide *Ezræ* 3. 11. & confer cum *Psal.* 136. Deinde confer *Apoc.* 15. 4. cum *Psal.* 8. 6. 9. Confer *Exod.* 15, 2. cum *Psal.* 118. 14. Vide 2. *Paralip.* 20. 30. *Ratio quarta* est ab exemplis Domini & Apostolorum, *Matth.* 26. 30. *Act.* 16. 25. *Apoc.* 15. 4. At nulla, illis locis, alia intelligi possunt, nisi ea *T. V.* dictata a Sp. Sancto & a fidis amanuensibus conscripta. Qualis fuit David? Vide *Act.* 13. 22. Quales ejus Psalmi? Resp. *Ambros.* Off. 1. cap. 32. Biblia sunt ut cœli, psalmi ut sol. *Basil.* Biblia sunt paradisus, psalmi arbor vitæ. *Cyprian* de dupl. Mart. Biblia sunt epulæ opiparæ, at psalmi sunt Bellaria.

Sed pressius, clariùs ac plenius Encomia Theologorum de psalterio monstrant quod adhuc concini debeat. *August.* præf. ad psalm. *Psalterium est communis quidam doctrinæ divinæ thesaurus, & universis animæ passionibus, quæ humanas animas variè angunt, subvenit. Psalmus*

Signifer est pacis, spirituale thymiama, exercitium cœlestium, luxum reprimens, sobrietatem suggerens, lacrymas movens &c.

Hieron. ad PAULINAM. *De omnibus divinæ historiæ libris,* David Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus *quoque* & Catullus.

Ambros. Præf. ad Psalm. *Psalterium est cõmune quoddam Medicinæ promptuarium, & penu doctrinæ publicum, apta & salutaria unicuique distribuens; Tutamen est pueris, juvenibus Ornamentum, Solamen senibus, Rudimentum tyronibus, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, efficiens solitudines habitatas, fora sobria, vox est totius Ecclesiæ una.*

Calvin. in Præf. ad suos Comm. in Psal. *Hunc librum non absre vocare soleo* ἀνατομὴν *omnium animæ partium, quando nullum in se affectum quisquam reperiat, cujus in hoc speculo non aliqua relucet Imago. Imo hìc dolores, tristitias, metus, dubitationes, anxietates, spes, curas turbulentos denique motus, quibus jactari solent humanæ mentes, Sp. S. hic ad vivum repræsentat.*

Trevell. & Junius in Præf. ad 3. part. Bibl. ——— *Si denique omnia simul complecti desideraveris, En tibi librum Psalmorum, omnium virtutum thesaurum, naturæ divinæ speculum, cùm vanitatis tum officiorũ nostrorum omnium Iudicem,* καὶ παγχρήσον σύμβολον, *in quo est Anatome totius hominis, & ψυχικὴ & spiritualis, horum animæ Christianæ, & odoramentorum omnium instructissimam officinam* παραδείσων, *certissimumque panarium.*

Rivet. Isag. Pag. 483. *In Psalmorum libro, eloquentiæ & summæ eruditionis argumenta conspiciuntur, quot ferè versus leguntur: qui vario carminum genere, Poeticis phrasibus, Metaphoris admirabilibus, aliisque argumentis abunde referti sunt, sive sint Psalmi Didascalici, sive Prophetici, sive Epinetici, sive Eucharistici, sive Confessorii, sive Precatorii, sive Paracletici, sive Protreptici, sive Quarebundi, sive ex his mixti. &c.*

Gerard. L. C. de S. p. 55. *Est omnino Psalterium Monile, ex tribus contextum.* viz. 1. *Ex auro doctrinæ & informationis.* 2. *Ex Margaritis consolationis.* 3. *Ex gemmis precationis. Est enim theatrum Dei, pratum suavissimum, Pelagus patentissimum, S universa compendium.*

Bellar. Præf. Com. ad Psal. *Hic liber est quasi compendium totius T. V. Nam quicquid vel* Moses *tradidit vel præcepit, quicquid Prophetæ prædixerunt vel scripserunt hic habes. Nam* Psal. 8. 78. 105. 135.

Mundi

mundi creationem, Patriarcharum res gestas, Captivitatem Ægyptiacam, Plagas Ægypti, Populi liberationem, in terram sanctam exponit. In psal. 119. *ad legem custodiendam omnes inflammat. In* psal. 2. 22. 16. 45. 69. 72. 110. *Christi regnum, ortum, prædicationem, miracula, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiæ propagationem ita manifestè prædicit, ut videatur potius esse Evangelista quam Propheta. Denique in* psal. 1. *& aliis hortatur ad virtutes, retrahit a vitijs, invitat, allicit, minatur, terret, & hæc omnia vario carminum genere, novoque dicendi genere, ita rapit animos in Dei laudes, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, dici, vel audiri potuit.*

His non obstantibus aliqui veterum hæreticorum, *Anabaptistæ* & Moderni Novatores, varia contra Psalmorum Davidicorum usum objiciunt.

Objectio Prima. Nulla in tota S. fit mentio de authore hujus libri. Tantum unus ab eo psalmus compositus. Puta *psal.* 18. Non prænotatur hic liber nomine Davidis. Tituli sunt falsati &c. *Resp.* 1. Si ex illo negetur liber psal. esse Canonicus, quia non præferat nomen Davidis vel alterius, tum nec Pentateuchus erit, quia non est adtitulatus nomine *Mosis*; ut rectè respondet *S. Senensis* Biblioth. lib. 8. p. 626. 2. Psalmus 18. non est noviſſimus omnium ab eo compositus, sed eorum quos durante hostium suorum persecutione composuit. 3. Veri tituli non sunt abrasi, & eorum loco alii surrogati. *Instant.* 1. Confusus est in eis historiæ ordo. Resp. *Chrysost. Ezram* Psalmos hincinde dispersos in unum volumen collegisse, prætermisso historiæ ordine, secundum quem psal. 34. & 51. est prior psal. 3. *Instan.* 2. Multi psalmi sunt conditi post Davidis tempora, ut psal. 74. psal. 126. psal. 137. Resp. 1. cum *August.* lib. 17. de *Civit. Dei.* Omnes esse Davidis, quorum aliquos prænotavit aliorum nominibus, & cum *Hieron.* quod Prophetæ de futuris tanquam præteritis ob prophetiæ certitudinem, pronuntient. 2. Concedi posse, non omnes sed maximam partem Davidis esse, attamen θεοπνευστος fuisse illorum omnium scriptores. *Instant.* 3. Dato quod omnes sint Davidici, attamen cantica nova, non antiqua sint Domino cantanda *ergo* isti antiquandi sunt. *Resp.* Dato Ant. nego sequi. Deinde cum *Goodwino* Resp. Cantica Dav. facias nova, si affectibus renovatis decantentur. *The heart renewed by grace, can make a new song of an old psalme.*

Objectio 2. Nihil est in hoc libro Propheticum, imo quem nos

nuncupamus authorem, non fuit ille Propheta sed Rex: ad hoc non ad illud fuit vocatus munus. *Resp.* 1. Hoc tam facile negari quam asseritur. 2. Imo Iudæi ipsi interpretantur *psal.* 2. & 45. & 110. ut Propheticos sui *Messiæ.* 3. Quod David fuerit Propheta, nihil est certius. vide *Act.* 2. 30. *Act.* 4. 25. *Act.* 3. 34. vide *Psal.* 78. 2. confer *Psal.* 94. 8. cum *Heb.* 3. 7. & *Psal.* 45. cum *Heb.* 1. 8. Apostoli vocant Prophetam. vide & *Psal.* 18. 1. 2. & 2. *Sam.* 23. 1. 2. vide *Matth.* 22. 33. *Luc.* 24. 26. Adeo ut omnino sit blasphema assertio illa *Theodori Mopsuesteni*, nihil de Christo in psalmis esse scriptum. vide contra *Psal.* 16. 8. *Act.* 2. 25. *Luc.* 20. 41. 42. *Psal.* 110. 1. *Act.* 4. 25. &c. *Instant.* Videtur libri author non divinus sed inhumanus fuisse, ultionis & sanguinis avidus. ut *Psal.* 43. 1. *Psal.* 54. 16. *Psal.* 83. 19. *Resp.* 1. Non omnis imprecatio est mala. 2. Hisce nulla expetitur vindicta privata sed publica. 3. Imprecari multa, non tam optantis voto, quam prævidentis intuitu. Sed de hoc plenius postea.

Objectio 3. Si, quod est, 1. *Cor.* 14. 26. Quisque habet suum Canticum, *ergo* non est quod in Dei laudes utamur alienis. *Resp.* 1. Nego sequi, illa ab aliis adinventa & composita possunt esse nostra in recto usu. Sed 2. Dona extraordinaria non sunt distrahenda ad regulam ordinariam. Cantionem tum immediate suggestam, a Spiritu Dei nemo it inficias. At quomodo, quibus hoc peculiare indultum fuit privilegium, cecinerint, sobrius nemo temerè definiat. 3. Diu est ex quo donum hoc, ut & linguarum, & alia cessarunt. Nunc enim inter talem Enthusiastem & concentores, non esset idem metrum, nec Meletema. Horrenda fuerit confusio, si essent ἀσυμφώνοι καὶ ἀμέτροι. Adde si hoc trahas in usum ordinarium, sequitur neminem alium posse vel debere in Ecclesia canere præter illum qui Canticum istud habet, cum concentorum & succentorum nemo præsciat, quid vel quomodo iste præcentor vel μονῳδὸς sit cantaturus, adeoque nulla erit harmonia, communio nulla, cultus nullus. 4. Præsumunt nostri Novatores non præsumendum, putà, neminem Antiquitùs ceciniisse, non raptu enthusiastico & instantaneo præditum; Quæro an omnium & singulorum concinentium cum *Mose* & *Miriam*, raptus fuit enthusiasticus? Cere sicut quod est θεοπνεῦστον, prædicatur modo ordinario, sic & psalmi τῶν θεοπνεύστων ordinariè cani possunt.

Objectio 4.

Objectio 4. Quod repugnat libertati ad quam in Christo vocamur, id non est ferendum, sed adstringi Davidicis, &c. & formulis agendarum, εἰς διὰ πάντων est repugnans nostræ libertati. *Resp.* 1. Majore concessâ, negatur Minor. 2. Postea probabo non omnes formulas illicitas esse. Recte Foord. *Vind. psal.* p. 32. Dedit nobis Psalterium non vero Liturgicam Litaniam. 3. Quæro, quando canebantur a *Levitis* psalmi Davidis vel Asaphi, an tum fuit Dei spiritus limitatus vel extinctus? *Instant.* Si Davidici sunt decantandi nunc, tunc ut, eodem tono eodemque spiritu, necesse est. *Resp.* 1. Si Toni necessitatem in canendo urgeant, quidni & in legendo? Nam imperiti linguæ hæbrææ, qui tamen S. translatam legunt, tonum Davidicum plane nesciunt. At si lectio S. cuique sit licita in lingua sibi cognita, quidni & Psalmodia sacra? Puta in tonis ac metris consuetis. 2. Concedi canendum nobis esse in spiritu, & cum gratia; atqui sic canimus si cantica nostra dirigantur in Dei gloriam, nostri & proximi ædificationem, h. e. Si ad Deum laudandum, proximumq; instruendum & monendum; si cantica nostra fuerint spiritualia authore, materiâ, forma, fine, tum ab eo, quo David, canimus spiritu. At si sic velint intelligi, quod nullius sit nisi renati canere, dico hoc esse extra oleas vagari, & nisi peti τὸ ἐν ἀρχῇ. de quo plura c. 12.

Objectio 5. Hortationes ad psallendum non sunt Psalmi, at Davidicorum plurimi tales sunt. *ergo.* Resp. Majorem posse recte negari, quamvis enim formaliter non sint Psalmi, attamen materialiter tales esse possunt. Quis Davidem dicat in istis Protrepticis, quæ sunt *psal.* 49. 50. 96. 100. 103. &c. non laudare Deum? Oratio (inquit *Lutherus*) optima est præparatio ad orandum, Protreptica ad canendum, huic optime inserviunt, ut spiritu canas. Istæ canendæ formulæ quibus per rationes convincentes (quales sunt *Psal.* 33. & 103.) excacuas alios ad Deo canendum, sunt nisi variarum expressionum cantationibus usitatarum elegantiæ.

Objectio 6. Hoc pacto defendi posse superstitiosas incantationes Papisticas per carmina. *Resp.* 1. Si quid in hoc argumento roboris esset, aboleret omnem psalmodiam, ac non solum ex Davidicis 2. Axioma firmum est, quod rei salubriter institutæ a Deo, usus rectus non sit deserendus, propter superstitiosorum abusum nefarium. Audiamus Alsted. Theol. Proph. p. 464. *Sed accidit sanctissimo Davidis*

vidis psalterio, quod vino præstantissimo solet, præcipiti abusu. Id enim barbarâ & Idololatricâ cantillatione in pensum divinum & horas meritorias conversum est, donec tandem in apertam virginis Latriam, h. e. *Idololatriam & horribilem Dei contumeliam, in hunc usque diem abierit.* Res clara est ex blasphemo BONAU. *psalterio.*

Objectio 7. Davidica, seu Test. V. Cantica sunt templi solius cantica, adeoque cum eo abolenda, tanquam typica. *Resp.* 1. Dato quod essent templi cantica, eaque omnia, non tamen sequi ea esse abolenda protinus; quæro annon *psal.* 119. sit moralitatis perpetuæ, quamvis fuerit templi Canticum? Deinde fuitne *psal.* 74 decantatus, etiam destructo templo? 2. Assero quod secundum justum cõputum, non nisi tertia Psalmorum pars ad hoc fuerit ordinata, nimirum ut publicè a templi Ministris & instrumentis musicis decantetur. 3. Si quid in hoc firmitatis est, pariter aboleas Orationem, (nempe si sic argumenteris) est templi canticum, *ergo* est quid typicum. Oratio ad Deum in templo etiam fuit, imo cum incenso & thymiamate. An est ea abroganda, destructo templo & abolito incenso? Imo illa quæ vocant templi Cantica, magis spiritualia & sanctiora erant quã esse possunt alia ulla a non θεοπνευστῶ composita. Quod jam probaturus sum.

CAPUT OCTAVUM.

QVæritur num in publicis Ecclesiæ cœtibus, tantummodo decantanda sunt ea Cantica, a viris θεοπνευστοις, quæ composita sunt in sacris extantia literis: An vero, etiam publicè decantari debeant ac possint pro occasione Cantica sacra, a viris pietate & fide conspicuis, constructa & verbo Dei consentanea?

BODIUS ad locum respondet affirmativè. Ille sic *Non licere tantum, sed ad Ecclesiæ Christianæ ædificationem insigniter expedire, Odas, hymnosque spirituales, a spectatæ pietatis fideiq; viris compositos communi Ecclesiarum unius saltem regni linguæque calculo comprobatos pro varia occasione fidelibus in solenni Ecclesiæ cœtu decantandos proponere & permittere. Imo priorib⁹ nova subinde cantica, prius*

authoritate

authoritate Ecclesiastica comprobata, per occasionem adjicere, quæ Christianæ doctrinæ veritati, quæ professionis Christianæ gravitati quæ cultus divinæ puritati quæ Sp. S. sanctitati respondeant. &c.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententia Orthodoxa communis & vera Assertionibus nonnullis explicatur & confirmatur.

Assertio Prima. Est inter concessa, ab omnibus Orthodoxis, Cantica omnia V. T. cani posse cum sint scripturalia: & quod quæstio hæc sit. Num illa sola sunt in Ecclesiis cantanda?

Assert. 2. Posse pia cantica componi a viris religiosis ordinariè nisi inspiratis, nostrum nemo inficiatur. Quin imo talia utiliter leguntur, privatimque piè canuntur. Qualia sunt PRUDENTII, ARATORIS, SEDULII, NAZIANZENI. huic consentiens P. MARTYR, L. C. p. 12. 45. ait *Cùm illis intelligam fideles posse tum erudiri, tum etiam admoneri, quales sunt* CHRYSOSTOMI, AUGUST. AMBROSII. &c. *Sic interpretor quod de hymnis scribit* BARON. Annalista ad ann. 600. n. 35. *Quamobrem divinos hymnos quantumlibet recens conscriptos, si præsertim pietatem præ se ferant, & ad modestos Musicæ modos sint accommodati, Ecclesia non respuit, quales sunt Nepotis.* Sed duo hic cautè sunt animadvertenda. 1. Ne ulla cantica humana sint ad exclusionem Davidicorum, vel ut eis exæquentur, nedum præferantur. 2. Ut distinguamus inter hæc duo. Canticum a Componista componi, quod est licitum, idemque tyrannicè imponi ut partem cultus essentialem adeoque necessariam, quod hodie fit in papatu, factitatumque olim ab Hierarchicis. vide *Didoclav. Alt. Damasc* p. 449, quod est illicitum prorsus.

Assert. 3. Convenit 1. quod Ecclesia Catholica execretur Gentilium cantica, adhiberi consueta ipsorum ritibus abominandis. 2. Nec minus cantationes blasphemas ab *Ario* compositas, quas acriter redarguit Athanas. Orat. 2. in Arianos. 3. Quas *Meletiani* concinebant, manuum plausu, & quadam saltatione, tintinabulisque funi appensis. (sic de eis *Theodor* lib. 4. hæret. fabul.) 4. Quas *Paulus Samos.* in semetipsum compositas cani publicè, instituerat. 5. Quas Apollinaris in se compositas quibuscunque canendas tradebat. quas tanquam hæreticas *Synodus Laodicena* anathematizavit. 6. Quas *Hieax* hæresiarcha recentes confinxit, de quo vide *Epiphan.* hæresi

7. *Valentini*, quarum meminit *Tertullianus* 8. Damnamus & quorundam praxin, & in eis *Gavantum*, in thesauro sac. rit. T. 1. p. 36. Qui vult ut symbolum Apost. Athanasii, *Pater noster* decantentur. Sed præ omnibus *Psalterii Mariani* horrendam Idolomaniam, à Doctore *Seraphico* compilati, in quo omnia versa in Matris honorem, verè sunt in Christi contumeliam. Extat apud *Chemnitium*. par. 3. exam. conc. Trid. p. 162. Deinde quid absurdius istâ *sequentiâ* decantata in conc. *Constantiensi*, olim piè in honorem Spiritus. — *Veni Mater gratiæ, fons misericordiæ, miseris remedium, veni lux Ecclesiæ, tristibus lætitiæ nunc infunde radium, &c.* Denique quid est insolentius auribus verè Christianis eo carmine putido, quo *Crucem* alloquuntur?

O Crux ave, Spes unica, hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam, reisque dona veniam.

qui hujus farinæ plura volet spicilegia & decermina, consulat *Romanum Missale, Breviaria, Rosaria, Ritualia* &c.

Assert. 4. Quod autem sola Davidica & spiritualia cani debeant in cœtibus Eccl. suadent hæ rationes. *Prima est*, Cùm hactenus consignatus sit Scripturæ canon, nec jam sint viri θεοπνευστοι, quorum operâ Deus olim Cantica illa sacra Ecclesiæ suæ dictabat & præscribebat, nulla cogit necessitas novos quosdam Psalmos exarare, qui vel Canoni inserantur, vel eo valere jusso, soli sint in observatione nunc viridi. Ergo, prorsus æquum ac par est, ut eo contenti simus Systemate ad publicum cultum omnem, quod nunc extat. *Resp.* Bodius. Ea quidem non esse Canonem, vel ejus ullam partem, sed quod sint illi conformanda, sive sint laudes, sive threnodiæ, sive doctrinæ &c. *Regero*, 1. Non quicquid habetur Scripturis conforme, est trahendũ in cultum. 2. Quid opus ut recurras ad deducta, ad sequiora minusque valentia, cum in ipso primo Originali, perfectè contineantur quæcunque ad fidem, ad mores, ad cultum, singulorumque pertineant statum? Certè, dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. *Ratio* 2. Annon multo tutius honos iste defertur soli Dei verbo, Canticisque inibi contentis, quæ sola, sine controversia, imo cum totius Ecclesiæ consensu publicè cantari mereantur? Audi vel unum *Canonem Concil. Laod.* cap. 57. *Non oportet*, inquit, *Psalmos compositos ab Idiotis & vulgares in Ecclesiis dici, neque libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos*

solos Canonicos T. V. & N. Ratio tertia est. Ad atteſtandam communis fidei affectuumque unitatem, prorſus videtur conducibilius & convenientius ut eiſdem Canticis ſacris & Eccleſiaſticis, fideles ubiq; locorum aſſueſcant, ad quod nulla eſſe poſſunt tam convenientia quam Scripturalia. quicquid adverſatur fidei coagulo, & unitatis glutini, id eſt averſandum. Annon συμφάξις & confuſio ex diſparitate & diſſonantiâ metuenda eſt inevitabilis? *Ratio* 4. Si apud alias atque alias Eccleſias licita ſemper Canticorum diverſitas fuit, h. e. ut in hac ſola recinantur divina, in alia verò tam humana quam divina: quæro quid facto tum opus eſt, quando in aliqua particulari nulli ſunt componiſtæ? in tantum ut nec fraternitas nec Rectores ſint componendo. Hìc neceſſe eſt ut agnoſcant defectum Oecunomicũ, eumque inſuperabilem & ineluctabilem. Contra quem tantopere aliàs deſudant. *Ratio* 5. Sæpè fit ut iſta noviter compoſita, ad juſtum revocata examen deprehendantur Scripturis difformia, adeoque nihil iſtis ſit periculoſius, cum non de facili avellas extirpeſque quod imbiberit talium vulgus. Cito nonnullos verſiculos Cantici cujuſdam *Antinomi*, ſenſu *Antinomorum* plane erroneos. ——

v. 2. *Our glorie is great, wee are compleat*
In Gods great love, we ſtand,
A glorious thing, a Wonder ſtrong,
That ſinne ſhould not defyle, &c.
All ſinnes wee find, are out of minde;
The Saints are made divine. &c.

Vide *Firmin.* p. 39. de talibus hymniſtis. p. 39. Tract. Separatio examinata. *Ratio* 6. Officium quod authoritate publica in Eccleſia canitur conſtare debet veritate infallibili, inquit *Suarez.* lib. 4. de Relig. cap. 2. ex quo ſubſumo tam contra Novatores quã contra Pontificios, cum nulla Cantica præter Scripturalia habeant veritatem infallibilem, non eſſe cantanda. De nullo alio prædices quod ſint infallibiliter divina. vide *Goodwin.* p. 278. Audi *Auguſt.* in ſua ad ſervos Dei regula. *Nolite* (inquit) *cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum, quod autem non ita ſcriptum eſt ut cantetur, non cantetur.* Idem Epiſt. 119. cap. 18. *Donatiſtæ nos reprehendunt, quod ſobriè in Eccleſia pſallimus divina cantica Prophetarum, cum ipſi ebrietates ſuas ad Canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum, quaſi tubas exhortationis inflam-*

ment. Audi etiam salubertimum Canonem 30. Conc. BRACAR. 1. *Extra Psalmos T. V. & N. nihil poeticè compositum in Ecclesia psallatur. Vetus est melius Novo.* Audi & *P. Martyr. L. C.* 12. p. 1244. *Curandum etiam praterea, ne quævis promiscuè in templis cantentur, sed illa duntaxat quæ divinis literis continentur, aut quæ inde justis conclusionibus eliciuntur, & cum verbo Dei ad amussim consentiunt. Si enim hominum inventis aperiatur fenestra, verendum est ne Musica Ecclesiastica, in Fabulosos hymnos recidat.*

ARTICULUS SECUNDUS.

RESPONDETUR *Rationibus* Bodii & Novatorum *in contrarium.*

OBJECT. 1. Davidica & Scripturalia nequeunt applicari eis variis statibus & conditionibus & occasionibus, in quibus positus est Dei populus. Requiri itaque Cantica noviter composita, ut cum gaudentibus gaudeamus. *Resp.* 1. Quod qui vocatur Dei populus non accommodet Scripturalia ad omnia sua circumstantialia emergentia, id sibi vitio vertat, tremenda attingens mysteria non spiritu Davidico. 2. Abunde probat *Athanasius* & *Marcell.* Nullum conferri nobis divini præsidii testimonium, pro quo in psalmis non sit materia Deum celebrandi copiosissima. Sed clarius hoc explicat *Ambros.* in sua ad Psalmos præfat. *Si quis gesta studeat recensere majorum, ac imitari velit, intra unum psalmum, totam paternæ historiæ seriem, comprehensam accipit* (ille psal. 78.) *ut simul cognoscerес, quid incredulitatis offensa obesset, quid fides prompta conferret. Si quis corruptionum sæva formidet, audiat* psal. 6. *Vis exemplum patientiæ, Lege* psal. 7. *Vis aliquid de promisso Davidi semine, Lege* psal. 132. *In Psalmis non solum nascitur nobis Iesus, sed etiam salutarem illam suscepit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris &c.* 3. Ex hoc satis apparet, eum, in quo inhabitet Dei sermo copiosè, prudentem delectum, quacunque oblatâ occasione, in quocunque ponitur statu facere posse. 4. Datô quod non omnes psalmi attingant nostram præsentem statum, attamen psalmus nullus est, qui non vel instruat nos vel moneat. 5. Qualiscunque est proximi conditio, eâ ut afficiamur, sympathia exigit Christiana. Iuxta illud *Rom.* 12. 15.

Object. 2. Quod Odæ novæ sint a nobis sub T. N. canendæ ex variis constat locis, ut *Psal.* 40. 4. *psal.* 96. 1. *psal.* 149. 1. &c. nimiū

coarctabitur spiritus si tantum vetustis astringamur. *Resp.* 1. cum *Cottono* p. 15. Vind. Psalmod. Si iam aliquis exoriretur extraordinario præditus spiritu, quo componat cantica θεοπνευστὰ, quales concedimus ad tempus fuisse in Ecclesia *Corinthiaca*, posse talem tale canentem in Ecclesia audiri, illudque auditum a cœtu per *Amen* approbari, 2. Dico, Novum & vetus nunc idem substantiâ esse debet in Evangelicis institutis. *Augustin.* & alii sic explicant illud *Novum*, quod non sit genere vel specie distinctum a vetere: dicitur autem *Novum*, quia esset novæ Creaturæ, novi viatoris, quia fit viâ novâ, & procedens ex amore novo. Vide *Paræum* ad *Apoc.* 15. 3. Evangelium quod æternum est cordi novo ut vinum novum est, ita & hic se res habet: 2. *Chron.* 20. 21. Cantabant novum, attamen Davidicum.

Object. 3. Si precibus a viris piis compositis uti licet nullatenus imminutâ Scripturæ vel cultus divini dignitate, quidni & canticis ab eisdem efformatis uti licet? in precibus nostris non astringimur expressis Scripturæ verbis, ergo nec hic. *Resp.* 1. distinguendum esse inter precum & Psalmorum formulas, dispar est illorum ratio. Deinde distingue inter formulas a Deo institutas, & ab hominibus inventas. 2. Quod attinet precum formulas, num licitæ sint dispicietur cap. 9. tantum nunc hoc insinuo. Preces enim raptu subitaneo nunc fundi possunt in publica Eccl. communione: at ut Psalmus nondum præconceptus, & præformatus, ordinariè & de repente cantetur, rite & ordine, quoad Metrum, materiam, devotum affectum, inter ἀδυνατὰ videtur. Psalmis & hymnis saltem quoad materiam, astringimur in utroque Test.

Object. 4. At hodie paraphrasi conditâ utimur & concinnatâ, tum ad cantus tum ad memoriæ ruditatem sublevandam. Deinde leguntur in cœtibus publicis Confessionum formulæ. *Resp.* 1. Non contendi à nobis, Psalterium totidem literis, syllabis ac vocibus exertè cantandum: quod asserimus est, ut servatâ debitâ Metri proportione, tam propè illuc accedamus, quam possibile est. 2. Legi & audiri Confessiones, Catechismos & istiusmodi formulas, non quod sint pars aliqua cultus propriè dicti, sed ut erudiamur, sed ut harmonica appareat cœtuum Christi conspiratio in unitate fidei.

Object. 5. At in tota S. nulla sunt Christi exhibiti Cantica. *Resp.* 1. Hoc dato, attamen ex eo non assequentur quod cupiunt. 2. Assertio ista est erronea, contra est. *Apoc.* cap. 1, 5. 14. 15. &c. 3. Va-

ticinia de Christo incarnato, nato, passo, &c. in S. sunt, ac si ob oculos mactatus fuisset.

Object. 6. Qui Hymnos Ecclesiasticos non propriè divinos eliminant cœtibus christianis, necesse habent ut excludant doxologiam istam, *Gloria Patri.* &c. quæ tamen vetustissimæ consuetudinis est, & venerandæ authoritatis in Ecclesiis Dei. vide *Conc. Tolet.* 4. cap. 12. *Resp.* Quod huic instantiæ plenè postea satisfiet.

Object. 7. Urgent contra nos duo veterum Testimonia. Primum *Tert. Apol.* cap. 39, *Deo canere vel de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio. Resp.* Illud disjunctum applicandum esse hymnis & canticis privatim cani solitis. Assertum fuit a nobis prius, de proprio ingenio cani posse. Secundum est, *Ambrosium & Augustinum* desumpsisse consuetudinem canendi in Ecclesia Davidica, à *Flaviano*, & *Diodoro epist. Constant. Resp.* Diu ante hos duos fuisse in more Christianis ut canerent Deo ex S. ut prorsus falsum sit illos Patres accepisse ab istis Episcopis eam consuetudinem.

Object. 8. Si prophani Poetæ psalmos componant, quidni & viri pietate conspicui & donis illustres? *Resp.* Totum concedi. Deinde cantillent illi sua in tabernis, & hi sua pariter in privatis familiis. Multa sunt dona eaque bona collata, quæ tamen non sunt publica, nec necesse est ut ad hoc publicentur, quæ expellant recepta & approbata publica.

CAPUT NONUM.

QVæritur, Num illæ Ecclesiæ sint superstitionis, θελοθρησκείας, præceptique secundi violati reæ, quæ in cultu publico divino utuntur statis formulis, vel præconcepta ac præscripta Psalmodia?

SEparatistarum Choragus *Robinsonus* in sua Apologia, cum Primipilo *Cornwello* affirmativam tuetur, horum cœtus segreges in terminis asserunt tales formulas Idololatriam & Antichristianismum sapere. At nos contrà, cum tota Ecclesia Catholica Orthodoxa, dicimus formulas rite qualificatas, h. e. si cum debita reverentia, fide & motu, affectuque devoto ac spirituali in Deum

fiant,

fiant, licitas, utiles, adeoque conservandas, tum ad utentium uniformitatem, tum etiam ad Ecclesiæ ædificationem. De quo ante hæc tempora exulcerata, nunquam fuit dubitatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio Orthodoxa confirmatur.

Ratio prima. Si formulâ præscriptâ liceat preces ad Deum fundere, verbisque præconceptis & præmeditatis, tum multo magis Psalmos canere, gratiarumq; actiones Deo offere, ex formula præscripta, cum reverentia debita, animique motu spirituali, at prius est verum. *Ergo.* Majoris connexio est valida, cum sit a majore ad minus. Minor sic patet. Quoniam Salvator suam proposuit Orationem, non tantum quasi exemplar imitandum, sed ut formam specialem dicendam. *Luc.* 11. 2. *Quando oratis, dicite Pater noster &c.* hoc primò sic explicat CYPRIANUS, *Quæ enim esse potest oratio magis spiritualis, quam quæ a Christo nobis data est? quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ ex filii ore (qui veritas est) prolata est?* —— *quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* Deinde *August.* epist. 59. ait, *quam totam petitionem fere omnis Ecclesia oratione dominica concludit.* Audi & ipsum rigidum *Robinsonum Apol.* p. 20. *Non dubito quin recte & piè usurpari possit hæc formula ipsa, quando invocatur Deus, modo absit opinio, necessitatis.* Quid quod in omnibus formulis Liturgicis Ecclesiar. reformatarum, uti & in nostro Direct. ut ea recitetur oratio, præscriptum est?

Ratio 2. *Nortonus* contra *Apollonium*, p. 140. sic. Agnoscimus formulas cantionum in S. quibus laudabiliter Deum celebrabant, erant usus fixi, quales sunt 1. *Chron.* 16. 7. 2. *Chron.* 7. 5. 2. *Chron.* 20. 21. *Ezræ* 3. 10. Titulus *Psal.* 92. indicat præscriptum fuisse ut præcineretur die Sabbathi publicè. Sic & *Psal.* 102. &c. Hæ erant, inquit, Ecclesiæ adjumento non impedimento. *Instant.* At talibus nunc non astringimur. *Resp.* Astringi nos adhuc hymnis, canticis, psalmis, *Eph.* 5. 19. *Col.* 3. 10. At nulla tum erant cantica spiritualia in exercitio nisi scripturalia. *Regerunt*, Non adstringit nos *Paulus* τῷ ῥητῷ. *Resp.* imo τὸ ῥητὸν κατὰ τὸ πρέπον usurpandum. Addo quod Cantica agni sint & templi. Confer *Apoc.* 15. 3. 4. cum *Psal.* 86. 10. & cum *Psal.* 3. 2. 4. 7. *Psal.* 9. 16. & nihil clarius est, illa adhuc non esse abrogata,

Ratio 3. Christus ipse præscripsit nobis expressam baptizandi formulam, *Matth.* 28 19. certam etiam formulam institutionis Eucharistiæ *Matth.* 26. Quid impedit quin sit & Cantionum Ecclesiasticarum formula? utut agnoscam τὸ ῥητὸν non nimis urgendum, non enim Evangelistæ cum *Paulo*, vel inter se per omnia verbo tenus consentiunt.

Ratio 4. Audiamus ad hoc Theologos Orthodoxos cùm molliores tum & rigidiores. *Mares.* Controv. 17. p. 407. *Cum denique ejusmodi formulis publicis, & infirmorum captui consulatur, & schismata præveniantur, & unitatis ac uniformitatis harmonia in Ecclesiis retineatur, factiosorum & turbonum sententia non est toleranda, qui omnes formulas Liturgicas studeant exstirpare. Corrigatur quod in illis est superstitiosum & Idololatricum, aut minùs recte positum est, ipsæ autem non exterminentur in totum, Imo non desunt in communione Pontificia, viri cordati qui abùsus multiplices Officiorum, Missalium, Ritualium, Breviariorum Pontificalium, Pastoralium, Ceremonialium notarunt, ac emendationem postularunt, quorum operosâ farragine multis parasangis superatur, quicquid olim fuit rituum operosorum apud Ethnicos & in Hetrusca viguit disciplina.*

Apollon. Consid. q. 7. *Proinde hominum illorum præcisam singularitatem, arguimus, qui omnes præscriptas formulas ex cultu Dei eliminant, & sese ab Ecclesiis Orthodoxis in privatos aut cœtus segreges separant, ob formulas in cultu Dei usurpatas ab orthodoxis.*

Calvin. Epist. 87. ad Protectorem Angliæ. *Quod ad formulas precũ & rituum Ecclesiasticorum, valde probo ut certa illa extet, a quo Pastores discedere in functione sua non licet, tam ut consulatur quorundam imperitiæ & simplicitati, quam ut certius ita constet, omnium inter se Ecclesiarum consensus. Postremo ut obviam eatur quorundam desultoriæ levitati, qui novationes quasdam affectant, &c.*

Ames. lib. 4. Cas. Consc. cap. 17. q. 4. *An in precibus adhibenda sit aliqua præscripta & certa verborum forma?* Resp. 1. *Hoc aliquando licitum esse, manifestum est, ex approbata Sanctorum praxi, quam in præscriptis Psalmis, & benedicendi formulis S. nobis commendat.*

Norton. Ibid. p. 135. *Observatis observandis, licitum esse potest uti formulis——licet etiam colere communionem cum illis Ecclesiis ubi tales formæ sunt in publico cultu,——Uniformitas Ecclesiarum in cultu publico, optimè conservatur directorio summa genera rerum agendarum, earumque*

eâdemque seriem indicante & ut omnia fiant ordine & decenter, quod & nos valde probamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

RESPONDETUR *Argumentis* Robinsoni, Cornwelli *& aliorum. Sed præmitto nonnullas Assertiones.*

Assertio Prima. Omnes formulæ cultus præscriptæ, materialiter vel formaliter vitiosæ, sunt in se illicitæ, ac proinde rejiciendæ.

Assertio 2. Usus formularum præscriptarum in se licitarum, potest esse illicitus ex circumstantiis illicitis, ut si imponantur tyrannicè, ex opinione simplicis necessitatis, sic sunt peccaminosæ, hic intelligo præsertim quæ sunt constitutionis Ecclesiasticæ.

Assertio 3. Aquiesco & multum applaudo Thesi 34. dis. 36. LEYD. *Interim tamen fatemur, valde esse utile & penè necessarium, ut omnes fideles provectiores, & imprimis Ecclesiarum Pastores donum apertè precandi etiam sine præviis formulis, in se exsuscitent, ut pro occasionibus oblatis & necessitatibus ingruentibus precationes & gratiarum actiones possint Deo instituere.*

Assertio 4. Tales formulas, quales *Biel* & *Durandus* in suis Rationalibus explicarunt, tanquam cultum Dei verum & purum deformantes horremus. Quæque narrant de *Officio*, quod nunc est simplex, nunc est duplex, quod hic viride sit, illic cæruleum, alibi purpureũ sit, infinitis Ceremoniis mysticis intricatum, facem & faciem veræ Christianæ religionis obfuscans, prorsus damnamus.

Assertio 5. Spiritum Dei & instituta divina non opponi, imo contra, ut hæc suum debitum assequantur finem, illum supponi: sine quo hæc quod ad salutares effectus frustrà sunt. Subordinata non pugnant. Externo cum interno principio convenit optimè. Adeo ut nẽ sit quod nudæ cortici, literæ mortuæ formulis usitatis adhæreamus, spreto posthabitoque Spiritu. Hoc insulsè esset inniti instrumento externo, primariâ causâ efficiente valere jussâ.

Assertio 6. Attamen nihil est in tota vera pura Antiquitate, quod cœtibus Christianis publicis eliminet formulas sive in S. contentas, sive istis consentaneas, quæ verè sunt in nostræ ruditatis & tarditatis subsidium, & in complementum unitatis & conformitatis Ecclesiarum Christi. His præmissis, examinemus Separatistarum argumenta.

Objiciunt Primò Psalmodiâ statâ & præscriptâ derogari divinæ gloriæ Christique dignitati: hâc namque utramque coarctari & in Angustias redigi dicunt. Hanc ipsorum assertionem nudam, sine ulla probationis specie rejicimus ut frivolam.

Obji. 2. Sic derogari Sp. Sancto, formulæ istæ circumscribunt Spiritum & constringunt; ut nihil videatur in nobis operari, cum sic extinguantur Sp. S. dona. *Resp.* Cum hoc sit ejusdem cum priore Commatis, pariter negari. quia subordinata non pugnant. nostrâ interest, suum ut cuique tribuamus, nec ut Sp. S. contristetur per desidiam & contemptum, nec ut negligamus media ordinata sublevandæ ruditati & infirmitati.

Obji 3. Deum a *Patre* coli formulâ præscriptâ dicet & arguet eundem reum sanguinis Christi: nam sic introduci typica scisso velo. *Resp.* Assertionem & rationem pariter negari. Psalmodia etiam præscripta annumeranda est officiis moralibus perpetui juris.

Obji. 4. Ritualia nostra adeoque psalterium desumpta esse ex Breviariis Pontificiis, adeoque scandalosa & peccaminosa, sic namque Papistas in sua Idolomania indurari, quid certius quid notius? *Resp.* 1. Formulas nostras Ecclesiasticas desumptas esse ex puro puto Dei verbo, tantumque distare a Pontificiis quantum a tenebris lux. Adeoque non causam pro causa poni. 2. Non moramur excerpta ex officiis *Angl.* & *Scotic.* tyrannice ab Hierarchicis obtrusis. Causæ nostræ nihil detrahunt.

Obji. 5. In S. nullum extare precum præscriptarum exemplum, documentum vel præceptum. *Ergo*, multo minus Psalmodiæ. *Resp.* 1. Anteced. falsum esse, quia contra est, extant enim ista tria in Prophetis & Apostolis & Evang. 2. Dato consequentia nulla est. Audi nisi *Foordi vind.* p. 32 *God gane them a Psalme booke, though not a prayer booke.*

Obji. 6. Sic laqueum tendi Conscientiis, sic tolli libertatem Christianam. *Resp.* Distingue inter veram libertatem Christianam, & inter licentiam fanaticam, & sic salva res est. Quod verò subdunt, Sic scandalo futuros nos fratribus infirmis, in ipsos retorqueo, dum provectioribus consulunt, Infirmorum nulla est ratio apud eos.

Obji. 7. Inconceptibile esse, quod Psalmodia stata inserviet necessitatibus nostris omnibus vel cognoscendis vel medendis. Arqui hoc in cultu oportuit. *Resp.* 1. Contra esse, probavi ex *S. Athanasio* & *Augustino.*

Augustino. 2. Eisdem premi incommodis laxam illam libertatem, imo majoribus. qui plura volet, legat *Tom.* 6. Bibliothecæ S. Patrum.

CAPUT DECIMUM.

An nunc admitti debeat Organorum usus in Cantu Ecclesiastico?

THeologi Orthodoxi, denegant Christianis horum usum in cultu sacro. *Ratio Prima.* Instrumentalis Musica in sacris populi Iudaici ad Ceremonialia Mosaica pertinuit, quæ nunc abolita sunt: nec faceret illa confragosa Musica Organica nunc ad ædificationem, nimirum Lituis, Tubis, Fistulis personare, perboare & remugire. Ut recte notat *Zepper.* lib. 4. cap. 9. de lege Mosaica. Vide *Paræum* 1. *Cor.* 14. 7. *In Ecclesia excitandus est animus ad spiritualem lætitiam, non Tibiis, tubis, tympanis, quod veteri stupidæ mentis & duræ Cervicis populo olim indulsit Deus, sed Canticis sacris. Ad quod* Thomas 2 *secundæ* q. 91. a. 1. *Ecclesia non assumit instrumenta Musica in divinas laudes, ne videatur Iudaizare. Ratio* 2. Si tam apta sit hæc Musica instrumentalis cultui divino promovendo in Ecclesia Christiana, cur denegatur singulis parœciis? Cur appropriatur nisi Eccl siis Cathedralibus, Sacellis regiis, urbium Celebriorum templis, Academiarumque capellis? Ubinam (ut quærit *Didoclavius* cap. 8.) instituit Christus peculiarem & proprium cultum Ecclesiis quas vocant, Collegiatis, aliis denegatum? *Tertia.* Si tantæ necessitatis ac utilitatis fuisset Ecclesiis, probabile omnino est, quod citiùs introducta fuisset. At *Cajetanus* ad *Thomam*, dicit non eâ usam Ecclesiam *Thomæ* temporibus. *Quarta.* Experientia ipsa testis locuples est, Organa ista, sive φηλάφητα, sive ἐμπνέυσα, spectare potiùs ad infirmorum attentionem impediendum, quam adjuvandum, ad ipsorum cogitata avertenda, quam ut decantata advertantur. Hæc inepta via est, quâ ad perfectionem tendamus. Explicat *Erasmus* quò tendant, in Nor. ad 1. *Cor.* 14. *Operosam quandam, & theatricam Musicam in templa induximus, tumultuosum diversarum vocum garritũ, ——— omnia Tubis, lituis, sambucis, fistulis perstrepunt: Cumque his certant hominum voces, audiuntur amatoriæ fœdæ cantilenæ, ad quas scorta*

mimique saltitant. In sacram ædem velut in theatrum concurritur ad delinimendas aures, & in hunc usum aluntur magnis salariis Organorum Opifices, puerorum greges, quorum omnis ætas in his perdiscendis consumitur, nihil interim bonæ rei discentium. Vide *Hospin.* cap. 11. p. 73. & *Polydor.* lib. 3. de origine Organ, Music. & imprimis *Baron.* ad ann. 60. p. 666. n. 37. Hujusmodi, inquit, instrumenta à Gentilibus adhiberi consuerunt, in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in Theatris, conviviis, ac sacrificiis.

Antequam alia attingam, audiamus quæ *Bellarm. Suarez.* & *Novatores alii*, contra nos objiciunt. *Bellarm.* lib. 1. *de bonis operibus* cap. 17. Censet quicquid Iudæis conducibile fuit, in subsidium ruditatis, id ipsum in Christianismo retinendum. Atqui ad hoc introducta sunt in Ecclesiam Iudaicam. *Resp.* Majorem ream esse criminis falsi, omnes ritus Mosaici in T. V. erant conducibiles, attamen nego quod pariter iam sint ut exerceantur. Recte notat *Tilenus*, ad Leviticū cultum ista pertinuisse, probatq; *disp.* 49. p. 1. ex 2. *Chron.* 29. 25. Deinde *Suarez.* Tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 8. contendit primò à *Patribus* & *Thoma* rejici tantum Cantum Organicum indecentem, & modulationes indecoras. Dico hoc prorsus falsum esse nam simpliciter rejiciunt tanquam Synagogæ partem. Secundum quod asserit, ejusdem farinæ est, nimirum, quod hæc consuetudo in universo orbe vel approbatur vel toleratur tanquam honesta. Plurimæ namque sunt Orbis habitabilis partes, in quibus ne vel γρῦ est Musices Organicæ. Denique quod ait, si hunc habuit effectum, sub T. V. putà ad devotionem provocandam, & ut elevet mentem ad sublimia contemplanda, quidni & nunc eundem sortiatur effectum? Dico, 1. quod magna sit disparitas, tum fuit præcepta, quia typica, ideoque iam est abrogata. Audi *Chrysost.* ad psal. 150. *Illa instrumenta, tum illis permissa fuerunt, ob eorum imbecillitatem; at quod Iudæis per omnia instrumenta Deum laudare præceptum fuit, ita nobis præcepit, Deum laudare per omnia membra, per oculos, per linguam, per aures, & per manus.* Iustin. Mart. in resp. ad Orthod. ait. *Simplex Cantio in eis Ecclesiis manet, hæc excitat animum ad fragrans ejus quod carmine celebratur desiderium. &c.* Quæ asserit *R. Hooker.* lib. 5. Eccl. Pol. pro utilitate Musicæ Organicæ, frivola sunt & responsione indigna. Denique Novatores sic infiunt eosdem procurari effectus per psalmodiam Organicam ac per vocalem, ergo illa tam licita est, quam est hæc.

hæc. *Resp.* 1. Hoc negari, gloriâ meâ, (uti est psal. 30. ult.) non psallo in Dei gloriam nisi psallam linguâ. Melodia vocalis & mentalis est morale opus, perpetuò indispensabile, at Organica exolevit ut typica. Deinde Instrumenta, cum nunc non possint esse typi, adeoq; cum nihil significent, jure merito abrogata sunt.

CAPUT UNDECIMUM.

Resolvuntur duæ quæstiones, una de Metro, altera de Alternis in Psalmodia Ecclesiastica.

QUod primam attinet. Iustis appositis responsionibus, nonnullis dubiis movendis, ei satisfiet.

Dubium primum. Num Psalterium Davidicum, aliaque Cantica Scripturalia sint Metro astricta? *Resp.* 1. A quibusdam hoc παραδόξως negari. Inter quos est *Iulianus* Apostata, denegans Hebræis omne exercitium artium liberalium. Deinde *Augustinus Steuchus*, dicit nulla vera carmina, Metricis legibus devincta in S. extare. Quodque Psalterium sit merè soluta oratio, charactere nisi poëtico animata. 2. *Resp.* Quod declinans hanc opinionem, sequi animus sit, communem & receptam, scriptorum Antiquorum. *Ioseph.* Antiq. 2. cap. ult. Et *Moses* oden in Deum versu Hexametro composuit; idem lib. 7. cap. 12. *David bellis confectis in alta degens pace, Odas in Deum & Hymnos vario metro composuit.* Euseb. lib. 11. de præp. Evang. cap. 3. Εἰ δ' ἄν αὐτοῖς καὶ ἐμμετροὶ ποίησις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ὠδή, καὶ τὸ Δαβὶδ ὁ ψάλμος ριη. (esset ριθ,) τῷ καλαμένῳ παρ' ἕλλησιν ἡρῳω μέτρῳ συντεταγμένοι. *Idem asserunt* Iustin. M. Theodoret. August. Hidorus &c. *Qui probant, antiquius fuisse apud Hebræos studium Carminum, quam apud Gentiles, quodque* Moses *longe ante* Homerum *cecinerit. Cuo tamen* Hieron. *qui in Epist. ad* Paulinum *sic. David Simonides noster, Pindarus & Flaccus, Christum lyrâ personat, & in Decachordo Psalterio ab inferis excitat resurgentem.* Et in præf. ad Iobum. *Prosâ incipit, versa labitur, pedestri sermone finitur. Quod si cui videatur incredulum Metro comprehendi omnia scripturarum Cantica, legat* Philonem, Iosephum, Origenem,

nem, Eusebium. *Nunc Iambico currit, Alcaico personat, nunc Sapphico tumet nunc semipede ingreditur. Hæc cum græcè legimus, aliud quiddam sonant, cum latinè, penitùs non cohærent.* Vide Buxtorf II Thesaurum p. 629. & Foord. Vind. p. 68.

Dubium 2. Concessò, hebræos metrum habuisse. An sacrorum carminum ratio sit nota? Hic in diversa abeunt Scriptores. *Bellar.* p. 4. *Heb. Gram. cap.* 5. Dicit quod vetus poetica Mosis & Prophetarum penitus ignoratur. Moller. *Præf. ad Psalm.* Hic vero deploranda est tum miseria gentis Iudaicæ, tum etiam aliqua ex parte infelicitas nostra, quod rationem Metri, quæ hujus carminis propria est, ignoramus. Genebrard. lib. 1. *Chronol.* p. 107. Hebræi hic sunt muti, nam scandendi modum fatentur se ignorare. Et quod culpa sit in Masoritas conferenda. At *Hieron.* longe aliter sentit, hic enim præf. ad *Chron*, Euseb. ait. Quid Psalterio canorius? quid *Mosis* cantico gravius? quid *Solomone* pulchrius quid perfectius *Iobo*? Quæ omnia Hexametro & Pentametris versibus apud suos composita occurrunt. *Gomarus* in præf. ad tractat. Doctiss, *Lyra Davidis*, arbitratur hoc se comperisse, lyrica sacra & profana, (distincto parumper linguarū genio) probe inter se convenire. Cui nos accedimus sententiæ tanquam veriori.

Dubium 3. An Hymni Metrici recte cantantur in Ecclesiis? *Resp.* 1. *Walafr. Strabo.* lib. de Eucl. Off. cap. 25. Dicit, quod in quibusdam Ecclesiis, hymni Metrici non cantantur. 2. Romanensibus adhuc in more est, ut officia seu pensa quæ vocant, cantent oratione solutâ. Hicque dicitur Cantus *Gregorianus* prælatus *Ambrosiano*. Recte etiam notat *Didoclav.* Alt. Dom. p. 628. Psalmos decantatos in Eccl. Cathed. Angl. Non cani carmine Metrico, sicut fit in Reformatis, sed prosâ. 3. Metro cani omnino convenit, ut sit Harmonia, ut evitetur confusio, & ut fortius excitentur affectus. Metrum ad hoc, inquit *Polyd. Virg.* a Deo est, lib. 1. cap. 9. 4. Non est supponendum, quod ante *Guidonem Aret.* Musicæ scalæ authorem, non fuerit Metrum in Ecclesia. Contra est, vide *August.* Tom. 2. præf. ad *Psalm.* Ille enim per sex suas notulas, hoc tantum intendit, ut planum sive cantum Gregorianum in artem redigeret. vide *Hottinger.* ad Sæc. xj. & *Calvis. Chron.* 1022. de modo dextre canendi in Metro postea dicetur.

Dub. 4. An Artificium Metricum accensendum sit donis spiritualibus?

libus? *Brunisti* objiciunt nobis cultum voluntarium, quod in canendo, Metro non prosa utamur, cùm Natura, Ars, Metrum, non sint inter dona spiritualia, qualia sunt preces & prophetia, *Ergo*, inquiunt facessant Cantica cum Melodia, modolatu, & tonis Metricis. *Resp.* cum *Cottono* p. 59. annumerari institutis divinis varia etiam non spiritualia dona, qualia sunt S. Lectio, *Deut.* 31. 11. 12. 13. *Amen* orationis clausulæ publicè rectè additur, hæc & his talia si inserviant ædificationi, bene est, quamvis non sint spiritualia dona. Dona Artis & Naturæ, quamvis non sint spiritualia, attamen inservire possunt istis promovendis, in quantum ædificant. Idem dicas de Translationibus S. in linguam cuique cognitam. Quod regerunt, si metricè canimus, cur non tono Davidico? At hoc non possumus, inquit *Robinson.* Apol. p. 20. *Resp.* Retorqueo, si quid in hoc ponderis esset, tum nec legeremus Psalterium Dav. nam vulgus hominum non legit textum hebræum. Quod si licitè hæc lego & audio linguâ propriâ, quidni & eâdem, eadem canto? quidni tonis artificialibus decoris piis, honestis, cuique genti usitatis? *Instant* adhuc at prosa translata propior est originali, quam est Metrum. *Resp.* Tam esse possibile, quod Translatio Metrica à viris piis, peritis concinnata, sit tam conformis authenticis, quam oratio soluta translata, & specimine facto in nostra nova Transl. psal. Metrica, res clara erit. Concludo cum illo *Riveti* tract. 2. q. 36. Rhythmos *non esse de rei essentia, sed tantum inservire memoriæ, nostrique temporis Musicæ, diversi toni ac soni quibus utimur nullatenùs inferunt fidei diversitatem.* Et cum illo *D. Heinsii* in hebræam *Gomari* poesin.

Dent alii protrita. Deum docet esse Poetam,
Iam canus, quamquam non moriturus, olor.

Quod ad quæstionem alteram, in cantu Alternato alternatio dicitur à *Suaresio* ibid. p. 201. Antiphona, *Cum in horis Canonicis Psalmi Alternatim per singulos versus dicuntur à Psallentibus, quatenus alternatim Psalmus reciprocè à duobus choris canitur.* Sic & hodie canunt Pontificii & Hierarchici nostri, *Ambrosii* Te Deum, *Zechariæ* benedictus, & *Mariæ* Magnificat, tanquam Choreutæ in Chorea. Author libri de Gemma animæ cap. 18. hanc alternationis dat rationem. *Deinde cum alternatim psallimus, quasi certatim operi insistimus, dum Lectiones legimus, quasi nos ad opus instruimus: dum responsoria canimus, quasi post*

peracta gratias agimus. Hæc nisi frivola est. hujus assertorès in diversa abeunt circa originem. Author *Gemmæ* cap. 17. attribuit inventionem *Ambrosio*, qui vult Responsorium à respondendo dici, quia choro canente versus, ab uno respondetur, & huic iterum à choro per inceptionem respondetur. Quæro ab authore ut recitet talem mihi *Ambrosii* locum. Radulphus Abbas Tungrensis altiùs deducit, *ut autem chori in duas partes divisi, ipsos psalmos alternatim cantarent, instituerunt* Flavian. & Diodorus *tempore* Constantii Imp. *Sic ille* Prop. 8. *Theodor.* lib. 2. cap. 24. *alternis Davidicam decantare Melodiam, cœpit, & usquequaque per vagatum est. At* Philo Iudæus *refert ad* Essenos *ut* lib. *de vita Contempl.* Verba sunt, *Ut omnes consurrexere, duo Chori fiunt in medio Cœnaculo, alter virorum alter fœminarum, cuique suus præcentor præficitur honore præstans & dicendi peritiâ. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos, variis Metrorum carminumque generibus nunc uno ore nunc alternis.* Quisnam author fuerit symphoniæ ac Melodiæ Chromaticæ, nobis perinde est. Hoc commentum nisi humanum est ac illaudabile, mutuatum vel à mimis histrionicis Poetarum Gentilium, vel à Iudæorum typicis, Canticum enim Ecclesiastico-evangelicum esset omnium pariter simulque concinentium. Hoc cap. seq. clarius explicabitur.

CAPUT DUODECIMUM.

Disquiri, An unus solus in Cœtu Eccl. canet? An aliqui tantum in eo ad id ex officio deputati? vel an totus fidelium Cœtus ad canendum teneatur?

Quæstio eò magis vexata, à magnisque distorta ingeniis, quò in tria abeunt circa hoc, fidem professi. Ecclesia vere Reformata asserit quod totus cœtus possit ac debeat. 2. Pontificia, quod sit tantum Cantorum in Choro, ad hoc deputatorum. 3. Moderni Novatores, quod in cœtu fidelium, unus tantum utetur Melodia externa vocali, reliquis omnibus concinentibus internâ, consensum attestantibus dicendo in clausula, *Amen.* Itaque primò nonnullis assertionibus quid sit tenendum contra Pontificios explicabo.

Asser. 1. Ut omnia in hoc cultu decenter & ordine fiant, aliquem constitui præcentorem, penes quem sit Melodiæ auspicatus, omnino convenit:

convenit: lineam vel lineas prælegi, vel à paſtore, vel à præcentore, vel aliquo alio, ſi opus ſit, adjumento eſſe dicimus. vide *Cotton.* p. 62.

Aſſer. 2. Damnamus quod determinant *Bellar.* cap. 19. lib. 1. *de bon. oper.* & *Suaref.* lib. 4. *de hor. Canon.* cap. 2. Solos putà Clericos & Monachos, ad hoc officium, ex officio teneri, h. e. ſolæ ſacræ perſonæ ad hoc inſtitutæ peculiariter, cantabunt. Quod hic graviter peccetur, Ratio noſtra prima hæc eſt. Omnium fidelium qui poſſunt ac ſciunt officium cõmune, non eſt contra Apoſtoli mentem reſtringendum ad paucos ſelectos. vide *Col.* 3. 16. *Eph.* 5. 19. 2. Cantus ille ſymphoniacus Chromaticus puerorum in imis ſubſellis, virorum in ſuperioribus, aurium inſerviet oblectamento, at neutiquam affectui devoto excitando. 3. Cum omnia munia & officia Eccleſiaſtica ſint à Chriſto inſtituta (hoc enim eſt in præcipuis ejus privilegiis Regalibus) cumque ipſi fateantur Doctores Pontificii, cantoribus nullum eſſe inter ordines locum, cur perſonæ peculiares deputantur huic officio peragendo? Hæc adhuc ſunt circa hoc controverſa, nondùm definita à Pontificiis. 1. Utrum Pſalmiſtatus ſit Ordo? quod negat *Durandus* lib. 3. d. 36. 2. An ſit inferior primâ tonſurâ? An poſſit committi pſalmiſtæ vel pſaltriæ à presbytero per ſolam electionem, & mandatum. 4. Huic Romanenſiũ inſtituto, pura contra-it antiquitas. Teſtimonium primum ſit illud inſigne *Baronii* ad ann. 60. Num. 13. *Illud autem non prætermittimus dicere, olim non ſolum extra Eccleſiã, ab omni genere hominum, artificum, ruſticorum, nautarum, viatorum, & aliorum privatim, cantari ſolitas animi cauſâ Deo laudes, ſed & publicè in ipſis Eccleſiis, promiſcuè una cum Clericis, univerſum tantaſſe populum.* BASILIUS Epiſt. 63. *Populus domum precationis petit, & facta ad Deum confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad Pſalmodiam inſtituuntur.* CHRYSOST. ad Eph. 5. πάντες συνέσαν καὶ ἐπέψαλλον κοινῇ. AMBROS, Hexam. lib. 2. cap. 5. *Eccleſia benè comparatur Mari —— in quo, cantu virorum, virginum, mulierum, parvulorum, conſonus undarũ fragor reſultat.* Audi & ſæculo corrupto, Decreti diſtinct. 92. cap. 2. *In ſancta Romana Eccleſia, dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri Altaris miniſterium eligantur Cantores: quam ideo ſuſtulit, quod non faceret ad ædificationem, fideles namque intenti ad Muſicã, pietatem negligebant.* Itaque Canonem illum 15. Conc. (quem ſuppono ſpurium) prout legimus, prorſus improbo. *Non licere præter Canonicas pſalmos*, h. e. *qui regulariter Cantores exiſtunt, quique pulpitum*

ascendunt & de Codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia canere. Repugnat enim δις δια πάσων dignitati & libertati Christianorum, hæc Cantorum sic dictorum Monodia & choreuma. Nota quod in fine sæculi quarti conditus fuit ille Canon, contra quorundam in canendo dissonantiam. vide *Cotton.* p. 70. Quod ad illud 1. *Chron.* 15. 16. & cap. 16. 4. Nobis à Pontificiis & Formalistis objectum. Dico primò *Levitas* T. V. sustinuisse typum omnium fidelium sub T. N. ex quo colligas quod nunc eo magis incumbat omnibus Evangelium professis, quò Levitarum olim specialius fuit. Nunc enim omnes verè fideles Deo sunt Reges & Sacerdotes. Deinde *Levitæ* erant nisi præcentores, quibus concinebat populus. vide 1. *Chron.* 15. 28. & cap. 16. 38. Denique Cantores isti, cum non ordinati, sunt nisi sæculares, & suo modo Laici, at quid impediat quin Laici cum Laicis canant? vide & *Nehem.* 12. 31. 38. Concludo cum celebri illo *Alberti* dicto. lib. 4. d. 24. a. 20. *Officium istud laudandi Deum, esse officium totius communitatis, & totius corporis Ecclesiæ, totumque fidelium cœtum posse esse Chorum.* Quod attinet Modernos Novatores. Ultro eis daturus sum, posse quemlibet Christianum privatum in suum usum, solamen & ædificationem Canticum sive à se sive ab alio compositum, canere *Psal.* 77. 7. *Recordor musicæ pulsationis meæ nocte.* Imo si nunc componista theopneustos extraordinariè ad canendum solus vocaretur: applauderemus per *Amen.* At quod in V. T. alii ordinariè canebant cum componistis, nihil est certius. *Exod.* 15. 1. patet item *Psal.* 106. 12. 13. &c. Paratum etiam ad hoc habemus Domini & Apostolorum exemplum. *Matth.* 26. 30. & præceptum *Col.* 3. 16. Quin imo nihil probabilius, quam quod, si hoc officium appropriandum esset Choristis selectis, aliqui Canones à Christo vel Apostolis conditi fuissent pro horum electione, examine, & qualificatione debita. Quæ verò tria adducunt Argumenta in sententiæ suæ novæ defensionem, sunto discussa. Eorum primum est, Si cantent omnes, tum erunt omnes doctores, cum jubeat *Paulus* ut doceant & moneant invicem in psalmis. Atqui non sunt omnes doctores, uti est 1. *Cor.* 12. 29. sicque patet Apostolum cum seipso committi. *Resp.* 1. Illud *Cor.* 14. 26. intelligendum esse de dono extraordinario psallendi psalmos, quod cum eo linguarum, conjunctum fuit. 2. Audi *Cotton* p. 39. Verbi totius duplicè esse usum, puta quod doceat, & moneat, extra quem, habent & psalmi tertium. Nimirum

pangere

pangere Deo laudes, in hoc concurrit cœtus totus, h. e. in divini nominis laudatione. Non verò in publica doctrina vel admonitione, pro authoritate. Deinde quamvis concentores nec doceant vel moneant: attamen Componista theopneustos tum docet tum monet singulos. *Socrates* & alii narrant *Iulianum* Apostatam, quod senserit se acriter fuisse increpatum, graviter admonitum, & miserè perculsum, quoties Christiani canebant psalm. 97. & 115. in quibus legebatur Idolorum vanitas & colentium confusio. Quod ad illud 1. *Cor.* 12. 29. publica, & ut vocant; ex officio prohibetur, non vero privata instructio & monela. Huius exemplum habes *Act.* 18. 26. Quid impedit, quin in Dei honorem concinamus Nutheticos, Paracleticos, Didascalicos psalmos, etiam privatim? *Objiciunt* 2. Quod Psalmodia sit actus Propheticus, cum ergo possint omnes sigillatim prophetare, quidni & canere, idque publicè? vide v. 29. 30. 31. *Resp.* 1. Psalmodiam impropriè dici prophetiam, nec ullo sensu ista dicitur, nisi quâ est rerum spiritualium publicatio, (idem de dono linguarum dicas) quo sensu filii *Asaphi* 1. Paralip. 25. 1. 2. 3. dicuntur prophetasse, h. e. Deum laudasse canticis. Deinde eo loci accuratè distinguit *Paulus* inter Psalmodiam & Prophetiam. Quod tertiò objiciunt ex v. 26. ei satisfiet part. 2. Huic vero argutiolæ, si omnes canant non posse non oriri summam confusionem. Dico quod contra sit, Deus noster est ordinis Deus. vide 2. Paralip. 5. 13. 14. Fuit *inquam* clangentibus Musicis &c. ut intus domum IEHOVÆ impleret nubes. Quod ultimò garriunt, si unus orat, quidni & psallet? dico quod ratio sit dispar, uti ante probavi, si omnes orarent voce elata & alta, tùm inevitabilis oriretur confusio, at hic est harmonia in Metro, in sono &c. in illa requiri dicimus assensum tacitum, in hac tum illum, tum & harmoniam symphoniacam.

CAPUT XIII.

NVm liceat vel expediat à nobis decantari Psalmos refertos imprecationibus diris, quales sunt Psal. 5. v. 10. Psal. 69. à v. 22. ad v. 29. Psal. 109. à v. 6. ad v. 20. &c.?

August. lib. de serm. Domini in mente, videtur omnem impro-

bare imprecationem: Prophetarumque formulas execratorias vult enarratas non tam optantium voto, quâ prævidentium ac prædicentium Spiritu. *P. M.* in *L. C.* tripliciter distinguit, huic ut fiat satis. 1. Si Causa sit merè privata, propria, nostra, tum simus longanimes, benedicamus, ne imprecemur: & si sit Dei, Ecclesiæ, Reipub. tum imprecemur, pacem, veritatem, pietatem, charitatem, justitiam publicam insectantibus. 2. *Imprecantium* quidam abripiuntur affectu pravo, suo carnali, talis illicita & vitiosa est: at qui à Deo, quæ futura sunt, revelante aguntur, qualiter *David* aliique theopneusti, has dejerationes habemus licitas. 3. *Mala temporaria* in Dei causa, optari posse, in Cautelam ac Medelam, licitum videri: at *aeterna* imprecari, simpliciter & ordinariè inter *α'νομὰ* reputes. Vel cum *Paræo* ad *Rom.* 2. *dub.* 8. resolvas sic. 1. dei immediatè divinis, lis nulla est. 2. Propheticas, singulares & extraordinarias, neutiquam improbandas, attamen maximam partem non esse imitandas. 3. Diras parentum, Magistratuum, pastorum, nec supercilioſè temnendas esse, nec temerè suscipiendas pronuntiem. 4. Quod attinet aliorum dejerationes eas sic limitari cupidus sum. 1. Ne gloriæ Dei prætextu admisceas zeli privati affectus. 2. Ne ferias diris, nisi ex hypothesi, quod sint insanabiles. 3. Hostium destructio non est optanda, nisi in quantum præcisè eam postulet vindicatio gloriæ Dei & Ecclesiæ ac Reip. salus. 4. De impiorum perditione, quâ sunt homines nobis naturâ conjuncti, de eis sic dolendum est: at quod attinet peccati destructionem & piorum liberationem, sic non possumus non congaudere impiorum suppliciis. In hoc puncto animus sic distrahitur, ut videantur in ipso duo contrarii motus. Sed audiamus ipsum *Amesium.* lib. 4. *Cas. Consc.* cap. 19. q. 4. *In tali Psalmodia possumus cum timore meditari de horrendis Dei judiciis, in hominum peccata: sic proficere possumus adversus tentationes ortas de prosperitate impiorum & piorum afflictione. Possumus etiam Deum simul precari, ut justam suam vindictam accelerare velit (non adversus nostros privatos inimicos) sed adversus impios & incurabiles Ecclesiæ hostes.* Certe si talia leguntur, prædicantur, præcipiuntur in S. tum possunt & imprecari, servatis servandis. vide 1. *Cor.* 16. 22.

CAPUT XIV.

Proponuntur

Proponuntur varii modi rectè & dextrè Canendi, ex S. & Scriptoribus Ecclesiasticis.

PSalm. 47. 7. *Psallite cum intellectu.* h. e. *inquit* Augustinus, *attentè & considerate. Et ut intelligas quod canis, & ut ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum.* Hieron. Estius *& alii ad hunc Psal. asserunt id fieri tribus modis.* 1. *Eruditè ad artem psallendi.* 2. *Intelligenter, ille sic psallit, qui quod legit, intelligit, & ad lecta attendit.* 3. *Sapienter, qui quodam devotionis affectu, fertur ad ea qua verbis illis significantur, & cui verba illa divina sapiunt, & suavia sunt. Deinde* psal. 33. 3. *Psallite ei optimè cum vociferatione.* Bernard. serm. 47. in CANT. *Debere ipsos fratres strenuè & purè divinis interesse laudibus, non somnolentè, non otiosè non perfunctoriè, ne mens aliud cogitet, quam quod voce profertur, alioquin absona erit & Deo exosa inter mentem & linguam dissonantia. Notum est distichon decreti.* ——

Non vox sed votum, non chordula Musica sed cor,
Non clamans sed amans, cantat in aure Dei.

Idem in Tract. de Templo interiore. *Contra vanos cantatores sic invehit. Cantant ut placeant populo, magis quam Deo; Si sic cantas, ut ab aliis laudem quaras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto & animum, frangis vocem, frange & voluntatem; Servas consonantiam vocum, serva & concordiam morum.* Conc. Carthag. 4. cap. 10. —— *dicente Presbytero sibi (*h. e. *Psalmistæ) vide ut quod ore Cantas, Corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes. Refert* Isidorus Hispal. lib. 2. de off. eccl. cap. 13. *Quod Antiqui pridiè antequam canerent, cibis abstinebant, psallentes tamen legumine vocis causâ assiduè utebantur, unde & Cantores apud Gentiles dicti erant Fabarii.* Bellarm *ad illud* psal. 98. 7. *Clangite coram* Iehova *tubis. Psallite Deo Cytharâ prudentiæ; psalterio justitiæ, tuba ductili fortitudinis, & tubâ corneâ temperantiæ.* RABAN. MAUR. de Instit. Cleric. ad illud psal. 63. 3. *ut labia mea laudent te; quod ut fiat, requiritur perfecta vox. Ea vero est perfecta vox, quæ est alta, clara, suavis, si ex his aliquid defuerit, perfecta vox non erit.* Quod Novatores ogganniunt, nullam vocem audibilem externam sub N. T. canoram admittendam, quodque blaterant nunc tantum Deo in corde canendum, Scripturæ clarissima testimonia contrarium prorsus evincunt. Locis citatis, λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψάλμοις. 1. *Cor.* 14. 15. 16. Canere cum intellectu

præcipi, non quidem proprio (nam hoc prius voluit, dicens *Spiritu.*) h. e. ut intelligant auditores, & ut ædificentur, dicantque canto finito, *Amen. Matth.* 26. 30. *Act.* 16. 25. Cecinere hymnos, at tum est hymnus, si sit voce audibili. Quid certius quàm, quod legimus *Psal,* 100. 1. 2. *Psal.* 98. 4. &c. id & alia ad tempora T.N. pertinere? Quamvis objecta a Novatoribus vix responso dignentur justo, attamen sunto discussa breviter. Isti primò, velle Apostolum ut loquantur invicem non ut sic canant, nimis dilutum ac distortum est, cum jubeat invicem loqui in psalmis, non ut instruant vel moneant in psalmis concinendis. Quod secundo garriunt, carnalem quemlibet posse externè loqui, at in hoc, ubi est donum vel ejus exercitium cedens in Dei gloriam? *Resp.* 1. Si lectio S. si oratio vocalis rectè annumerentur institutis divinis, cur non & cantica prolata? 2. Annon Moralia Dei ab impiis peracta, inserviant Ecclesiarum ædificationi? 3. Annon Canticum quod fit tum ex ore tum corde Dei gloriam promoveat? Quod subdunt, Deum spiritu & veritate colendum. Hoc ut verum agnosco, sic verum etiam esse quod subordinata non pugnant. Melodia externa vocalis isti cultui multùm inservit. Superaddunt. Si colimus Deum voce canora audibili, quidni Nablio, lyra, decachorda? *Resp.* Typica ista erant, & cum sint abrogata, sunto extantia in Antitypo, h. e. nostris præcordiis. 2. Negamus Melodiam externam Iudaicam fuisse typum nostræ externæ vocalis: vel quod Melodia externa ore sit præfigurativa internæ corde. Non est oratio προφορικὴ typica internæ. Summa, Si Melodia externa fuisset. Typica internæ, non ea tum usi fuissent Christus & Apostoli.

Appendix.

Num linguâ fidelibus incognitâ. cum fructu peragi possit hoc officium Ecclesiasticum?

Hic nisi cum Pontificiis res est, quorum Cantores sunt nunc ut æs resonans, Cymbalumq; tinniens, præsertim in choris Augustioribus & claustris Monialium.

Quod autem hic cultus sit peragendus linguâ vulgari, cognitâ, intellectâ. *Ratio prima est.* Ad quid instituti erant olim Lectores in Ecclesia Dei, nisi ut plebs, publicè quod legebatur intelligeret? Vide

Cham.

Cham. T. 1. lib. 11. cap. 4. §. 7. Audi quærimoniam Enchiridii Colon. *Olim recitatione verbi Dei per lectores, plebs saginabatur: nunc Lectores quod recitant, vix ipsi intelligunt.* Hæc una ratio in Causa est, quod olim officia omnia, in Oriente & in Occidente, erant *Græcis* græcè, *Syris* syriacè, *Arabibus* arabicè, *Latinis* latinè, *Dalmatis* Dalmaticè peracta. Deinde vult Apostolus πάντα πρὸς οἰκοδομὴν ἔναι: At nemo ædificatur aure audiens, quod corde non intelligit. Res clara est. 1. *Cor.* 14. 15. 16. 17. ad quod *August.* lib. 11. de GEN. ad Lit. Nam si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur audiendo quod non intelligit. Nullo modo est *Estii*, *Stapletoni* & aliorum responsio satisfactoria. *Non velle*, inquiunt, *Paulum, ut totus populus intelligat intus, sed ut is qui sua approbatione & responsione vicem populi supplet, intelligat in quo tanquam suo vicario populus intelligit.* At primò falsum est, noluisse *Paulum*, ut totus intelligat cœtus. Ille omnino huic incubuit, ut concionibus, cantionibus, aliisque institutis ædificarentur, non per vicariam sed per propriam intelligentiam. Exsibilanda est illa *Tirini* Cont. 2. n. 10. distinctio, Laudes ac preces quæ fiebant tempore *Pauli*, pertinuisse ad populi institutionem, at nunc non ita esse. An debent opponi, putà Dei gloria, plebis ædificatio quæ sunt potius componenda. Utriusque promotio tam nunc quam olim requiritur, intenditur. At neutrius esset linguâ peregrinâ. Denique hæc consuetudo repugnat ipsi fini vero Melodiæ, desiderantis non solum corporalem præsentiam, sed multo magis, omniũ mutuam conspirationem & consensionem ad fidenter dicendum *Amen*; quod non sit, quando quod dicitur, ignoratur. Debentne etiam affectus nostri esse rebus conformes in Dei laudatione, atqui hoc est inter ἀδυνατα, si plebs sit eorum quæ recitantur, nescia? Ultimo indubitata & perpetua fuit Ecclesiæ primitivæ praxis, ut in eadem lingua essent Cantiones in qua essent preces publicæ ad Deum fusæ, vide ad hoc *Davenant. Determin.* q. 41. Nec aliter quisquam intelligat illud *Basilii* ad *Neocæsar.* populum tum in Ecclesia ἀνυμνεῖν ἀλλήλοις. Inter alios Psalmodiæ hic unus finis est, ut in canendo (inquit *Cottonus* p. 48.) convincantur & impii, at in lingua barbara seu incognita, convictio nulla est.

CAPUT XV.

Discutitur insignis illa quæstio. An ex illo quod In Cœtibus Ecclesiasticis mali commisceantur bonis, fideles cum infidelibus, vitanda & è medio tollenda sit omnis Psalmodia Ecclesiastica?

TOta pene Separatistarum seu Præcisistarum cohors, invehit eò maximè in Ecclesias Dei reformatas. An communicabimus, inquiunt, mendacibus, impuris spiritibus, Formalistis? Profanum vulgus cantans psal. 119. profitetur quod Deum toto corde diligat, at quid est illo falsius? Si canant psalm. 103. in quo asseverant se Deum toto corde laudare. At Mendaciorum hoc est mendacissimum. In quos anne jure vibres illud psal. 50. v. 16. 17. Huic scrupulo amoliendo aliquantisper immoremur. Ad hominem primò sic regero, demus hos tales non teneri ut publicæ communicent Psalmodiæ propter rationem assignatam: cur non quisque in familia sua cum suis, quos probos pioque supponunt, canunt? Deinde demus profanũ vulgus in hoc cultu, assumere Dei nomen in vanum. Quid si hos Aristarchos Magistellos, monitores eadem redarguit culpa? De Separatistarum grege non minima pars communicat *Antitrinitariis, Antiscripturistis, Socinianis, Antinomis, Anabaptistis, Arminianis.* Si tantopere horreant homines moribus pravos, in puncto suæ Communionis cur non æquo jure blasphemos in Deum, veramq; fidem? Ut in illo eis ultro gratulamur, quod non *audiat & sanctos terra profana modos.* sic in isto non applaudimus, quia *mulier formosa supernè desinit in piscem.* Novatorum non contemnenda pars, Psalmodiam in abstracto rejicit, quasi nihil attineat christianos. Horum Anti-psalmistarum ἐκ βίος ἀμουσία satis nota est. Sed iam contra molliores disputo, ad hunc cultum, qui dicunt teneri pios, at non impios. At ego fidenter dico, utroq; Christianismum professos pariter teneri, utut illi, quod oportuit, præstent, hi desint officio. Qui si canendo, non canant Domino ἐν χάριτι, ipsorum cùm vitium tum & misera infelicitas est. Attamen teneri nihil certius, jubente Apostolo, ut in Domino semper gaudeamus. Et ut qui hilaris est, psallet. *Iacob.* 5. 13. *Moses* testatur se composuisse istud Canticum quod est *Deut.* 32. ut posset populus suæ ingratitudinis convinci. Et Sic cantando, semetipsos dijudicabant, & damnabant. Quod replicant,

impios

impios non id advertere, quod canitur. Frivolum est; Nam primò quid si advertant? Melodia, inquit *Goodwin*, est à naturæ instinctu. Si non advertant, ipsis vertitur in vitium. Deus solus est καρδιογνώστης. Sed ut fortiùs premam. 1. Si impii tenentur Psalmos legere, quidni & canere? si orare pro beneficiis dandis, quidni hymno laudare pro datis? Si verbum Dei prædicatum audire, quidni ex eodem Deum celebrare. Negatæ sequelæ nullam hactenus reddere potuere rationem. Estne *orare* actus tam strictus spiritualis communionis, quam est *canere*? At in illo sine scrupulo communicatur cum impiis nondum præcisis. Assertio illa nobis videtur absurda. Putà. Impiorum præsentia in cœtibus publicis, & communio cum eis in externis, ita commaculat, ut nullum acceptari possit officium divinum debitum, etiam à piis rectè peractum. Inevitabile est, quamdiu hìc vivitur, ullum cœtum tam sanctum esse, in quo non unus *Judas* sit, in quo non diabolus vel ater vel albus. Ecclesia Christi vera visibilis, rectè assimilatur *horreo, Areæ, domui magnæ, reti &c.* 2. Si in hos fines canat etiam impius, putà ut instruat, ac instruatur, ut laudet Deum, tum, ut oportuit, canit. 3. Annon Apostoli communicabant Ecclesiis, in quibus erant carnales? 4. An omnes mulieres τῆ *Miriam* concinentes erant sanctæ? *Exod.* 15. 12. quando *Paulus*, accepto pane, gratias egit in conspectu omnium, *Act.* 27. 37. annon cum eis cõmunicavit. 5. Dignitas & valor cultus publici non pendet à morũ integritate, si ille intiger fuit, communicabant Prophetæ & Apostoli cum eis, ait *August.* quos sciebant esse rebelles. 6. Si corruptionis internæ reliquiæ non oberunt *Tito* pio, quin ἐν χαρίλι cantet, nec etiam externa apparens *Petri* pravitas. 7. Nulla suadet ratio, nulla cogit necessitas, ut hìc tam rigidi simus, ac in Eucharistiæ communione, quod rectè notat *Cotton.* p. 44. 45. Ultimò audi piam Antiquitatem. *Cyprian.* lib. 1. Epist. 2. *Nos, in quantum nobis judicare conceditur & videre, faciem singulorum videmus, cor scrutari, & mentem non possumus perspicere. De his judicat occultorũ Scrutator & Cognitor Deus, citò venturus, & de arcanis cordis, & de abditis judicaturus.* August. *Ep.* 162. *Objiciuntur nobis crimina malorum hominum, non nostra sed aliena, & ipsa partim incognita, quæ si etiam vera & præsentia videremus, & zizaniis propter frumenta parcentes, pro unitate toleraremus, non solum nullâ reprehensione, sed etiam non exigua laude, nos dignos diceret, quicunque*

S. Scripturas, non surda audiret aure. Idem epist. 152. *Unusquisque portabit onus suum, ergo nihil ei præjudicant peccata aliena.* Idem T. 10. p. 142. *Gregem dominicum mixtum ovibus & hædis non desereres, aream Dominicam, quamdiu palea trituratur non desereres, retia dominica quādiu bonos & malos pisces ad littus trahunt, non dirumperes;* at alibi ex patribus hæc & his talia probaturi sumus.

Verumtamen varia objiciuntur: ad incudem ipsa subjiciantur examini.

Obji. 1. Requiri pietatis veræ internæ signa satisfactoria convincentia in *Tito*, si sit *Petro* cum eo concinendum. *Resp.* 1. Ubinam hoc legitur? quæ consequentia probat? 2. Invincibile est quòd *Titi* sanctitas interna ita inclaresçat *Petro*, quâ δειχτικῶς concludat *Titum* esse renatum: non rarò contingit hypocritas larvatos, in professoratu excedere verè pios. *Instant*, neminem canere debere nisi spiritu Davidico præditum. Quæro itidem, ubinam hæc recocta crambe legitur (putà, nisi renatum neminem ἐν χάριτι canere?) Hic ut iterum itupeant ac hæreant, necessitas est.

Obji. 2. An communicarem cum eis quorum caput non est Christus, cum sint nisi damnati? mihi concinendum est cum templi membris integrantibus, quorum imus lapis angularis est Christus. *Resp.* 1. Non est eadem sphæra impiorum & damnatorum. 2. Etiam & Christus, quodam sensu, est impiorum caput, si non quoad internum gratiæ influxum, attamen quod ad moralem directionem, quo sensu & Hypocritæ sunt membra, nempe æquivocè. h. e. & vera sunt mēbra propter professionem, externaque nonnulla privilegia fœderalia, & falsa sunt propter internæ communionis carentiam. *Instant*, At impii coram Deo & in jure sunt excommunicati. *ergo* non est eis concinendum *Resp.* Hoc dato, non infertur Elenchus, interdici mihi quidem in communione, cum excommunicato, in sententia lata, & juridicè in foro externo, at in illo foro *Petrus* non excommunicatur præcisè quod sit impius, quod non renatus, sed quod sit contumax, quod scandalosus. quorum utrumque cadat in verum veræ Ecclesiæ visibile membrum.

Obji. 3. Communicare non eorum sceleribus, unà cum eis Deum collaudantes. *Resp.* 1. Nego sequi. 2 Ineluctabile esse, cum hypocritis in externis non communicare. 3. *Inde* pollutio in communione

ne Paschatis, *Christo & Coapostolis* non nocuit. 4. *Petrus* pius ad hoc tenetur ut *Titum* impietatis convincat, & redarguat; at hoc est cum *Tito* communicare. 5. Dato quod *Titus* sit scandalosus, attamen non juridicè & notoriè ejectus, ne vel interpretativè arguit meum in scelere consensum, quamvis communicem in publico cum ipso cultu. *Audi* Augustin. tom. 10. p 35. *duobus modis te non maculat malus*, h.e. *si non consentias, & si redarguas*: h. e. *non consentire non communicare*.

Obji. 4. Destituuntur impii donis spiritualibus, ergo non canunt Domino. *Resp.* ad *Ant.* Non omnes impii carent omnibus donis, multis adest gratia oblata. 2. quibusdam impiis (non sic perseverantibus) adest & gratia collata. 3. Teneri omnes sive pios sive impios ad debitum morale, semel factâ propositione objecti. 4. Qui prærequisitis ad hoc debitum solvendum destituuntur, ipsis in vitium cedit. Suâ namque culpâ carent, adeoque inexcusabiles sunt. At, *inquiunt*, An Ecclesia sancta canet vel orabit cum impuro mundo? *Resp.* Hoc non reponendum inter inordinata. In publico cœtu promiscuè audimus, oramus, canimus: Vide *Act.* 13. 44. *Psal.* 138. 4. 5. *Act.* 31. 36.

Obji. 5. Cum Psalmodiæ fines sunt instructio & monitio, impii autem missilibus ad hæc careant donariis cur eum eis canes? *Resp.* 1. Sunt & præter memoratos alii Psalmodiæ fines, puta convictio *Deut.* 31. 19. puta Dei glorificatio, Ecclesiæ ædificatio, at & hi omnium & singulorum sunt 2. Nihil absurdi committi, si impii instruant & moneant pios errantes. *Pharaoh Necoh* recte monuit *Iosiam*, & *Abimelechus Abrahamum*. Impii Pastores validè & licite docent, monent. &c. 3. Διδασκαλίαι καὶ παραίνεσις καὶ νουθεσίαι magis propriè spectant ad Psalmographos, quam ad Concentores.

Obji. 6. Si impii licitè & validè concinunt cum piis, quidni & cum eis prophetare? At hoc absurdum est. *Resp.* 1. Si Prophetia propriè sumatur, pro publico dono verbum prædicandi cum authoritate qua in explicando, qua in applicando, πρὸς οἰκοδομήν. Sic impii privati non prophetant. Vulgatum est, Cantor qua Cantor non est Pastor. At si prophetia largè sumatur, h. e. quocunq; modo publicare magnalia Dei, tum impii prophetant, quilibet enim ad hoc pro ratione officii tenetur. Et quamvis indigni sint qui sic vel prophetent ac Deum glorificent, attamen ista indignitas & ineptitudo non excusa-

bit quominus præstent pro virili ad quod obligantur. *Audi* Cotton. p. 52. *Si Petrus oret vel canat sine fide, peccat quidem: at nolle omnino vel orare vel canere, peccat gravius. Illud hypocrisin, hoc Atheismum sapit.* *Audi* & Foord. p. 38. *Ut indigni sint impii qui ore suo loquantur Dei verbum, attamen dignum est Dei verbum ut ipsorum insit mentibus, ac in ore sit, in suam ipsorum Instructionem & Monelam.* Et ad hoc ipsum, vide & *Augustini* Psalmum elegantem contra partem *Donati*, qui est Tomo 7. & incipit. — *Abundantia peccatorum solet fratres conturbare, &c.*

PARS SECUNDA.

In qua varii resolvuntur Conscientiæ Casus particulares, hanc Psalmodiam Ecclesiastico-divinam attinentes.

QUAESTIO PRIMA.

Num Psalmodia æquè conveniat animo ægro tristique, ac hilari lætoque?

PRimò, in confesso est, quod Cantica ordinariè conveniant animo læto. Gaudio enim cor dilatatur, tristitiâ verò constringitur. Cui quadrat quod est *Iacob.* 5. 13. Deinde negari nequit, quin Psalmodia conveniat tristitiæ anteactæ utiliter cõmemorandæ, sæpè & leniendæ ac tollendæ. Musica namque, testibus *Isidoro* & *Boetio*, ita naturâ comparata est, ut recte diversissimis accommodetur hominum affectibus, quò in hilari provocet lætitiæ augmentum, in tristi suscitet tristitiam majorem. Ad hoc vide *Prov.* 25. 20. *Ierem.* 9. 17. 18. 2. *Paral.* 35. 25. Denique nihil certius ac magis probatum, quam quod Psalmodia sæpissimè etiam erexerit, excitarit, ac vivificarit quasi morbidos, tristes, animoq; ægros. quorum prologus si fuerit *Ultimate Tragicum*, attamen exitus fuerit *Plaudite Comicum.* Vide sis, *Psal.* 6. *v.* 8. *Psal.* 30. 12. quin & hâc sedati affectus inordinati, compositique animorum motus, res clara est, 1. *Sam.*

Sam. 16. 14. & 2. *Reg* 3. 15. exemplis *Sauli* & *Elizæi*. vide & *Io. Hallii* nocturna Cantica edita ann. 1654. Quod quidam vellicant & carpunt, nos canere Iejunii indicti tempore. Fruſtra ſunt, nam nec canimus tunc ad provocandum gaudium, nec uti *Babylon, exigit in mediis carmina lata malis. Pſal.* 137. 3. Sed ut eò magis humiliemur, inque lacrymas diſſolvamur. Documento inſigni ſunto omnes *Pœnitentiales Pſalmi*, nec non IEREMIÆ *Threnodia*. Hoc maximè fit, ſi ſit talium prudens delectus, cùm quoad materiam, tum quoad tonum. Quod attinet illud *Iacob.* 5. 13. rectè explicat PARÆUS, *Cum in adverſis murmuramus vel deſperamus, in proſperis ſecuritate diffluimus, & Dei oblivi ſcimur: ne ullum horum fiat, Deum oremus ut calamitatem mitiget, & bono noſtro convertat, & in proſperis pſallamus Deo Largitori.* Quid notius quàm quod Martyres hymnos Deo cecinerint etiam in mediis flammis?

QUAESTIO SECUNDA,

Quiſnam fuit ille Hymnus, quem Chriſtus & Apoſtoli Cœnâ peractâ Deo Cecinerunt, Math, 26. 30.

THeologi ex utraque variant in hujus reſolutione. *Primo Adam. Conzen Ieſuita* tria relinquit incerta. *Primum*, num cecinerint *Pſal.* 113. 2. An alium à ſe compoſitum. 3. An uſi fuerint conſuetâ Iudæis gratiarum actione. *Secundo, Diodati, Wardus, Barradius, Cottonus*, ceciniſſe eos putant *Pſal.* 113. & proxime ſequentes. Quod omnium clariſſime *Paulus de Maria* explicat. *Iſte Pſalmus* 113. *cum quinque ſequentibus, vocatur ab Hebræis* Hallelujah magnum, *de quo ſingularem faciunt ſolennitatem, nam in tribus præcipuis Feſtis hymnum iſtum ſtantes cantant, & in Neomeniis, & in nocte Paſchæ, poſt agni Paſchalis comeſtionem hunc hymnum ſolenniter dicebant; quem hymnum Chriſtus cum Apoſtolis, ritum conſuetum ſervans recitavit. Quem adhuc Hebræi in illa nocte Paſchæ, carentes agno Paſchali, cantant. Nec minus clarè poſt eum* B. Walæus ad loc. *Eum hymnum dividunt Hebræi in duas partes: prior continet Pſal.* 113. 114. *& recitatur ante cibum: altera continet reliquos pſalmos & recitatur poſt comeſtum agnum, exhauſtoque poculo ultimo. Cui ſuperaddebant benedictionem Carmiſicam.* *Tertiò* GROTIUS ad loc. Quod etiam Chriſtus quædam pe-

culiaria cantica subdiderit ad institutum suum, & instantis redemptionis declarationem facientia, & ceciniſſe in hymni modum quæ *Ioh.* 17. leguntur. Hoc ultimum ego in medio relinquo. At hic duo certa sunt. *Primum*, Christum ceciniſſe tum hymnum omnibus notum. Nam quomodo potuiſſent discipuli accinere Christo, si ille novum & insuetum ceciniſſet, cui illi non fuiſſent assueti? Quod colligo ex Syra versione τῷ ὑμνήσαντες, *& dixerunt hymnum* in præterito. *Secundum*, Christum totam hanc actionem Cygneâ cantione clausiſſe: reliquum noctis transigebat sanctiſſimis sermonibus, qui sunt *Ioh.* 14. 15. 16. Refert *Buxtorfius* sanctiores Israelitas olim totam transegiſse noctem insomnem in enarratione beneficii liberationis ex Ægypto. Ut moneamur quid nobis peracto epulo Eucharistico sit faciendum. Ne unquam recedatur à mensa, nisi referantur gratiæ Deo Creatori, Largitori, Liberatori. Hymnus ille Christi tum cantatus, inquit *Hieronymus*, præbuit facem invictæ magnitudinis, insignis pietatis & sobrietatis servatæ. Audi eundem *Hom.* 83. in MATTH. *Audiant omnes qui quasi aversâ calcibus mensâ, temulenti consurgunt, cum gratias agere debeant.* Tertull. Apol. cap. 39. *Ita saturantur ut meminerint Deum per noctem adorandum esse, cantu probatur quomodo quisq; biberit, oratio convivium dirimit, inde discedit non in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint quam disciplinam.* vide *Hospin.* de cantu Iudæor- ex psal. 118. in festo Tabernac.

Quaestio Tertia.

Num piè ac prudenter decantantur à nobis illi Psalmi, qui minus rectè videntur nobis in tali rerum statu & conditione positis accomodari, quasi nostras exigentias nunc non attinentes. E. g. An Psalmus 6. cantandus sit à Petro *sano? Num Psal. LI. ab eodem casto? Num Psal. CXXXII. ab eodem superbo? &c.*

Resp. 1. in genere, nullum esse in toto Psalterio, qui, quoad minimum quod sic non offerat, præbeat, suppeditetq; Meditationi sacræ & suavi materiâ locupletem, imo uberrimam. Cum

Cum nullũ sit in canticis scripturalibus Distichon vel Hemistichion, non inserviens vel Dei gloriæ amplius illustrandæ, vel Ecclesiarum ædificationi promovendæ, quâ docendo, quâ & monendo. vide *Perkins.* ad *Heb.* 11. *Eosdem nunc optime cani psalmos, qui olim à θεοπνευστοις componistis: quia eadem nunc est, quæ olim fuit Ecclesia.* Cotton. Vind. cap. 9. *Nullus est psalmus Biblicus qui non pertineat ad populi Dei conditionem, sive præsentem sive præteritam.* Idem & *Foordus* vind. p. 120. Ut prorsus falsi sint quidam Novatores dum somniant Psalterium exaratum fuisse tantum in usum sæculorum priscorum, seu T. V. non vero succedentium seu T. N. Certe ex illo colligas nec T. V. nunc legendum, qui fuit Manichæorum error. Quod ogganniunt, istam meditationem sacram, tam procurari ac foveri legendo quam canendo. Hoc si negem, non probabunt eius contrarium. Inter recepta & probata astruxi, quod cor magis excitetur, elevetur ac afficiatur canendo quam legendo, cum fortius ista imprimantur animæ suavi modulamine, quam lectione nuda. Sed *Secundo* ut adhuc clarius respondeam, ac primò dato quod nec sis æger, nec impurus adulter, si eò istos psalmos non canes, tũ nec leges. At rectè a talibus immuni leguntur, ergo & canuntur, putà in Cautelam, Solamen, Instructionẽ. *Instant* 1. An non Hypocrita fateatur se mendacem esse, si canat *v.* 6. psal. 16. *Lacrymis meis spondam meã liquifeci? Resp.* 1. Dato utroq; quod in hoc hypocritã mendacemq; agas, attamen isto Cantu clare ostenditur quid sit tibi faciendũ 2. Suppone *Petrum* Deum odisse, attamen utiliter in fines scilicet memoratos cantat *psal.* 119. 3. In locutionibus hyperbolicis, sensus sæpe iræ divinæ monstratur, & quantus inde oriatur dolor verus, ut notat *Calvin.* 4. Quamvis non sit mihi par affectus in Dei instituta, ac fuit in Davide, attamen non mentior, sive legam sive cantem *Psal.* 119. 5. Dato etiam quod defectus meus, (quod attinet punctum devotionis) sit non tantum gradualis sed & specificus, ac sic quod Textus cantatus directè te non attineat, attamen si alios, si corpus Christi verum visibile spectet, pro hic & nunc, in hac vel illa rerum conditione positum, rectè cano & recito in omnium salutarem usum. *Regerunt.* Cum altus est animus meus, & oculi elati, annon mentior in psal. 132. 1. 2. ? *Resp* 1. Sic premas ejusdem psal. lectionem. 2. Si es verè Christianus, non est tibi cor elatum ac superbum. 3. Dato quod cor tuum non sit adeo humile

ac oportuit, at hic habes tum verbum instructionis, quo discas humiliari: & tacitæ increpationis, quod superbiat cor tuum; 2. Dato quod post cantum, adhuc cor elatum sit (quod etiam contingit post orationem ferventem) attamen perpendas clausulam in tuam monelam. quæ est ibid. *v.* 3. Deinde *Secundo* respondeo, concedi non omnes psalmos promiscuè accommodari singulis conditionibus in quibus ponimur pro tempore: cui medendo sit prudens horum delectus. E. g. Psal. 92. recte destinatur in Sabbathi diem. psal. 2. quo regni Christi discamus naturam, psal. 33. 37. 73. In operibus providentiæ & Creationis sunt. Psalmi 119. quam immensæ ac ingentes sint utilitates verbi Dei. Denique quod attinet Historicos, præteritum tempus magis attinentes, recte notat *Amesius*, nos etiam attinent, si sic de illis meditemur, ut inde spem & consolationem hauriamus, secundum illud *Rom* 15. 4. Deinde quia cogitatione induere quasi debemus personam eorum, vel qui istos componebant psalmos, vel de quibus componebantur: adeo ut quicquid in illis sit, suo modo etiam ad nos pertineat.

Quaestio Quarta.

Num dicendæ sunt istæ Ecclesiæ laborare defectu Oeconomico, in quibus nulla est Psalmodia?

Resp. 1. Sunt quædam Novatorum Conventicula, omnem Ecclesiasticam Psalmodiam, quasi pedagogicum quid & servile, damnantia, inter quæ sunt segreges *Antinomi*, *Anabaptistæ*, & *Enthusiastæ*, superbè semet extollentes super omnia instituta divina. Hos non agnoscimus cœtus verè Christianos, nisi equivocè. 2. Sunt quædam veræ Christi Ecclesiæ, puta variæ Parochiales sic dictæ, quæ hac carent, vel quod ipsis desit præcentor idoneus: vel quod tam rudis sit plebs, ut non sint in ea, qui servato justo modulamine concinant: vel sublata est, quòd nonnulli in modulationibus & cantibus nimium indulgeant voluptatibus. Audi *P. Martyr.* de hoc defectu *L. C.* p. 1246. *Quare si qua Ecclesia sit quæ illâ non utatur justis de causis, ea non potest jure damnari, modo non rem ipsam, suâ naturâ defendat illicitam, vel taliter ex Dei præcepto: nec alias Ecclesias quæ cantu & Musicâ utuntur, societate Christi excludat. Ecclesia enim Alexandrina,*

Alexandrina, vel nihil vel parum admodum canebat. Videbat enim tantam populi infirmitatem, ut magis Harmoniæ, quam verbis attenderet, — in hoc acquiescant sobrii.

Quaestio Quinta.

An non peccant canendo, qui quod canunt, non intelligunt?

Resp. 1. Concedi non ita intellectos psalmos cantatos, ab omnibus, ac aliàs oportuit. 2. Prudens sic concluserit, quoniam hactenus lecta in S. non sunt clare intellecta, ideo lectione superfedeas: canimus ut intelligamus, ut instruamur, & ut hoc cultu tam sæpe imperato Dei laudes celebremus. Legimus ut intellectus illuminetur, sic sæpè ut in ipso canendo accenduntur affectus, sic illuminantur mentes. 3. Ordinariè scimus Psalmistæ scopum, & sensum eius quod canitur, quamvis Phrases, idiotismi, variæ lectiones, non semper sint adeo manifestæ. 4. Nostrâ interest canamus ut intellectu sic & affectu, quando variè pro materia afficimur, tum sese exerunt spes, fides, desiderium, gaudium, timor. &c. E. g. quando canis illud psal. 119. *v.* 5. utinam comparentur viæ meæ, ad observandum statuta tua: toties intendas cordis desideria, ut Deo obedias. Item quod est *v.* 97. quam diligo legem tuam! tum est proportionandus affectus rei amatæ. qui si desit, ipso facto monemur, & redarguimur. 5. Si nihil eius quod canitur intelligis, non est quod canas, nam ignoti nulla cupido. 6. Quæ sunt requisita orationis efficacis & ferventis, eadem ipsa, quod attinet intellectum & affectum, requiri dico in cantu gratioso. Audi ad hoc *Amyrald.* p. 250. 251. damnantem Rom Eccl. consuetudinem. *Excitatio autem illa piorum motuum, quæ fit in affectibus vel bruta est & sui nescia, vel proficisci debet ex intelligentia rerum ad pietatem generandam ab ipso Deo comparatarum. Apud Evangelicos, id servatur inviolatum, ut quicquid in Ecclesia aut dicitur, aut canitur, aut recitatur, sit ad intellectum etiam infimæ plebeculæ accommodatum.* Ipsi pontificii, *Isidorus Clarius, Lud. Vives, Lindanus. & alii* deflent crassam Sacerdotum Monachorum ignorantiam, demurmurantium suas cantiones & missas. Vide *Hottin.* diss. 1. de Nec. Reform. p. 64. Prælectio Hemistichii vel

Distichi, vel totius contextus cantandi, non solum prodest memoriæ, & affectibus movendis, sed etiam adjumento summo est intellectui.

Quaestio Sexta.

An non hæc Psalmodia Ecclesiastica tam mulieribus quam viris convenit?

Resp. breviter cum *Beza, Cottono & aliis.* 1. Duos esse casus, in quibus non permittitur ut mulier in Ecclesia loquatur. 1. ut publicè ac authoritativè in Ecclesia doceat. Res clara est. 1. *Tim.* 2. 12. 2. Ut in Ecclesia quæstiones publicè proponat vide 1. *Cor.* 14. 34. 35. Deinde sunt etiam duo casus, propter quos licite loqui possunt ac debent in Ecclesia. *Primus* est in puncto scandali publici, seu offensæ datæ, subduntur enim, pœnitentiamque publice profiteri tenentur. Cujus specimen videas *Act.* 5. 8. *Secundus* est, quod una cum cœtu reliquo, concinunt Dei laudes psallendo. Quod consistit satis cum subjectione viris debita. vide & hujus exemplum. *Exod.* 15. 20. *Accepit quoque Prophetissa Miriam, tympanum in manu sua, & egressæ sunt omnes Fœminæ post eam cum tympanis & fistulis.* Et sic respondebat cum illis, *Cantate Iehovæ, eo quod admodum excelluit. &c.* Memorabilis est illa Historia quam memorat *Theodor.* tom. 3. Eccl. Hist. cap. 19. De *Publia* fœmina nobilissima, matre *Iohannis* Presbyterorum Principis *Antiochiæ*, magistrâ Chori, quæ una cum suis canebat psal. 115. *Iuliano Imp.* *Apostatâ* prætereunte.

Quaestio Septima.

Num faciunt rectè, Artifices, Remiges, Nautæ, viatores, Opifices cellularii, qui dum debita absolvunt pensa & exequuntur officia imperata, tum etiam vacant Psalmodiæ divinæ?

Resp. 1. Quænam fuerit praxis Veterum circa hoc, notat *Hieronym.* Ep. 17. ad Marcellã. *Quocunq; te verteris, arator stivam tenens, Alleluiah decantat, sudans Messor, Psalmis se avocat, & curva*

curva tondent falce vinitor vitem, aliquid Davidicum canit, hæ ut vulgo dicitur, sunt amatoriæ cantiones, hic pastorum Sibilus, hæc arma culturæ. 2. Etsi non sim qui hoc simpliciter damnem, autumo tamen quod non valde expediat. quia ut *Petrus* canat ac oportet, totum requiret & exiget hominem. Deinde non minor affectus pius, devotaq; dispositio requiritur in canendo quam in orando. Vterque enim necessarius est Dei cultus. Denique non minus patienter & confidenter expectanda est responsio in canendo, quam in orando. At si *Petri* animus distrahatur, in diversaque rapiatur, invincibiliter impeditur ne satisfiat officio. Tantum hoc appendo, in opere tam difficili ac sancto, *Cor tuum custodi.* Si dicas, melius esse sacra canere quam mente oculisve circa illicita vagari, *Regero,* ex malis Ethicis seu culpæ neutrum esse eligendum.

Quaestio Octava.

An liceat Christiano Musico, cantilenas Idololatricas canere, in quibus sanctorum invocantur nomina?

Resp. 1. Cantiones linguâ notâ conceptas, & quæ Sanctorum invocationem continent, ac præ se ferunt, non licet canere, uti nec voces modulis aptatas. quia abstinendũ est ab omni specie mali, 1. *Thess.* 5. 22. At Sanctorum invocatio in istis modulatis vocibus est actus Idololatriæ externus. Vide duo loca horsum facientia *Exod.* 23. 13. *Psal.* 16. 4. 2. Qui canunt cantiones linguâ ignotâ, sive per numeros solos, sive etiam per voces numeris aptatas, in quibus est invocatio Sanctorum, sive sciant sive ignorent illud, judico ab eis abstinendum cantionibus. 3. *Episcopius* & alii judicant, Cantionum huiusmodi numeros ac modulos solos, absq; ullis articulatis vocibus canere, per se non esse illicitum, sed per accidens. h. e. si sit scandali periculum apud infirmiores, qui eas Idololatrarum proprias esse norunt. vid *Episcop.* tom. 2. p. 49. q. 47. Abominanda visa mihi fuit intervallorum modulatio in Hierarchia Angl. plane ad modum & morem Curiæ Romanæ. Hìc duo quæruntur. 1. Quid si cum risu & μυκτηρίσμῳ canuntur istæ Cantiones? *Resp.* Mihi certum est, præstare ut ab eis prorsus abstineatur, idque seriò & graviter, contemptus enim & μυκτηρισμὸς offendit, & alienat animos

ab inquisitione veri: imprudentes etiam moveri sic possunt, ut animum propiùs advertant devotum ad id quod audiunt. Quæritur 2. An modulis & numeris istis aptare voces & sensus ab omni Idololatria abducentes, & ad verum Dei cultum excitantes, non sit licitum? Dico hoc caute ac parce est faciendum, sed si cantiones Idololatricæ percrebuerint in vulgo, consultius tutius ac utilius est, ne eis modulis ac numeris, ullo modo utamur. Quod etiam dictum volo de obscænis, impuris, ac sordidis cantionibus omnibus, qnæ Christianos non decent.

Quaestio Nona.

Num privatim & in Familiis hâc Psalmodiâ divinâ rectè utimur?

Resp. affirm. Exempla hujus habes *Matth.* 26. 31. & *Act.* 16. 25. *Diodati* explicat illud *Ierem.* 30. 1. 2. 7. ad eũ epæneticũ cultum T. N. qui fiet seorsim in familiis. *Illyricus* de ser. ad illud *Psal* 135. 19. 20. & ad illud *Psal.* 118. 15. dicit *Quod olim Israelitæ pia carmina canebant; non tantum in Templo, sed etiam privatim.* Memorat *Iustinus Martyr* in sua Apologia, nihil usitatius fuisse tum, quam quod cum Christiani agerent Conventus sacros, toni, sonus, modulamina, quæ audiebant Pagani; indicio ac documento erant, hanc vel illam domum Christiani esse. Referunt Historici, quod *Theodosius* 2. cum uxore, sororibus, liberis, servis, quotidie aliquos Davidicos canebat Psalmos. vide *Dist.* 29. *Gratian.* Sunt Christianæ familiæ quæ veræ Ecclesiæ dei sunt. vide *Rom.* 16. 4. Olim nec templa, nec ullæ ædes sacræ permissæ erant Christianis, in speluncis, cavernis, privatim in domibus quisque suis & cum suis, Deum laudabant & colebant. Certe si licite oramus, verbum prædicatum audimus in familiis, quidni ibi etiam validè ac licitè laudamus? si jejunare ac plangere seorsim, quidni & seorsim canere? vide *Zechar.* 12. 12. 13. Si dicas, familia mea afflicta subest cruci? *Regero.* Vult Apostolus ut in afflicto statu lætemur. *Rom.* 5. 3. Si tum benedicas Deo, pariter canendo laudes, vide *Iob.* 1. 21. At adhuc dices; familia mea tam exigua est, ut in cantu paucorum abesset decorum. At fuitne ille *Pauli* & *Sylæ* cantus gratiosus & decorus? Imo unus seorsim, fructuosè canat

nat. *Iustes* adhuc, vicinia sic annumerabit nos hypocrytis. *Regero* hypocriseos malim insimulari quam Atheismi, utut utrumque injuste fiat. Refert *Mollerus* ad *Psal.* 118. 15. olim reputatos eos fuisse impios ac profanos, in quorum familiis hic non viguit cultus. Deniq; subdunt, an in hoc cultu cõmisceam memet cum domesticis impiis? *Resp.* At cum Iuda dominus cecinit. vide *Matth.* 26.12. & 30. Cum sint peccatores attamen quia sunt homines, & sic laudare tenentur.

Quaestio Decima.

Num rectè faciunt Christiani Orientales in Syria, Armenia &c. *Qui cum in Templum veniunt Festis solennibus præsertim Resurrectionis Dominicæ, cum Cytharis Psalmos inter se cantant, & unà saltant?*

Huic ut respondeatur, quædam prænotanda sunt de saltatione. Ac *primò*, non omnis est vitiosa. *Plato* 3. de legib⁹, duo facit saltationum genera. Unum πολεμικὸν seu Pyrrhycum, alterum εἰρηνικὸν, dictum ἐμμέλεια, quibus additur tertium κορδακισμὸς seu lascivum. *Secundò*, Concedi quod agilitas corporis sit Dei donum, & si accedat aliquid artis nimirum ut corpus ordine, apte numero, & cum decoro moveatur, non video (inquit *P. Martyr* L. C. p. 615.) cur debeat reprehendi, modo in tempore, moderatè, & citra offensam fiat. *Tertiò*, Veri Christiani, uti admittunt saltationes in cantilenis bellicis, & religiosas quæ olim fiebant, quæ quasi quid secundum naturam sunt, sic ex parte rejiciunt Comicas seu Mimicas, ut rectè notant *P. Martyr* & *Rivetus* ad *Exod.* 15. 20. sic & in totum abominantur lascivas, sive sint solitariæ qualis fuit illa filiæ *Herodiadis*, Matth. 14. sive sint sociales, vel virorum inter se, vel fœminarum inter se. *Quartò*, Sancti in S. nunquam leguntur saltasse, nisi in celebratione alicujus eximii recentis beneficii. *Quintò*, Ut viri unà cum mulieribus permisti, promiscuè salent ferri non debet. Hæ namque choreæ, evidentissimæ sunt occasiones transgressionum legum divinarum: laquei sunt & scandala, non tantum saltatoribus, sed etiam & spectatoribus, sic enim non parum inflam-

mantur animi ad cupiditates minus castas. *Sextò*, *Maria* saltavit, at non cum viris, non cum juvenibus, sed seorsim cum mulieribus. *Exod.* 15. 20. *David* 2. Sam. 6. 14. non duxit choreas cum mulieribus. Nec puellæ quæ eiùs celebrabant victoriam cum viris saltabant. *Septimò*, Isto gestu seu signo externo tum usitato, uti & aliis instrumentis exprimebant internam lætitiam. vide ad locum *Annot. Anglic.* *Octavo*, Si quis regerat, quod propter abusum res ipsa non sit rejicienda. *Resp.* paucis, si major sit utilitas in usu, quam damnum in abusu, tum valet illa regula, (ne alia addam) at si abusus sit communis, si res promiscuè usurpatæ sunt folles libidinis, tum rei quæ indifferens videbatur, cessat indifferentia. *Nonò*, Rectè *Thomas* 2. *secundæ* q. 91. a. 2. in populo T. V. erat hujus & Organorum aliquis usus, quia populus erat rudis & carnalis, at nunc ille cessat. Hoc sic explicat CAJETANUS, *Tanto magis nunc est excludenda saltatio, quanto nunc disciplina interior, est excellentior.* *Decimo*, Quod quidam nostratium leniunt & mitigant illum Orientalium morem in Psalmodia sua saltatrice, quasi illorum spiritus sint agiliores, nostratium graviores, & quod sobriè, modestè, & seorsim, diebus illis saltent, nihil ad rem facit. Alia ætas alios mores postulat; recte *P. Mart.* ibid. Legem habemus de Concionibus habendis & Sacramentis percipiendis, at de choreis ducendis nihil præcipitur in T. N. RICHARDUS de media villa, *Ostendit quod ducere Choreas diebus festis, sit peccatum gravissimum.* in 3. *sent. d.* 37. *Undecimo*, Audiamus Patres & Concilia. *August.* in psal. 32.— *Melius est toto die fodere, quàm saltare die Sabbati.* CHRYSOT. Hom. 56. *Nuptias audistis, sed non Choreas; vides nuptias, Choreas non vides.* In Conc. Laod. Ilerdensi *Præcipitur expressè ne homines Christiani saltent, vel in nuptiis suis: sed ut prandeant moderatè, & Deo gratias agant. &c.* Imo *Cicero* ait, *Nemo saltat sobrius, nisi forte insaniat.* Summa sit. Canamus ut Deo præcipitur, sed ut saltemus, Corybantes agamus, vel ut motibus Ionicis gesticulemur, prohibitum est.

QUAESTIO UNDECIMA.

QVomodo intelligendum est, quod legimus, 1. Cor. 14. 26. *Quisque vestrum Canticum habet?*

Resp.

Resp. Quod eo loci tractet *Apostolus* de dono Psalmodiæ extraordinario, quo, qui eo sunt præditi, sic ut debent, uti sit πρὸς οἰκοδομήν. Donum linguarum olim variis inserviebat usibus. 1. Ad loquendum mysteria. *v.* 2. 2. Ad orandum. *v.* 14. 3. Ad canendum. *v.* 15. 4. Ad gratias Deo agendum. *v.* 17. Omnia illa, tum extraordinaria erant, tam quoad materiæ sublimitatem, Sp. demonstrationem, subitaneum raptum, quam quoad elocutionis dexteritatem: sine discursu, & momentis rationum. Multi tum non solum in Apostolatu & discipulatu, sed etiam ex fraternitate fidelium habebant extraordinaria dona. At quæ nunc sunt Orandi, Prophetandi, Psallendi dona, sunt nisi Ordinaria. BEZA *censet τὸ ἕκαστος, ibi sic resolvendum,* h. e. *si alius quidem Psalmum habet, alius doctrinam, &c. Ne quis putet singulos omnibus istis donis fuisse præditos.* Et clarius PARÆUS, *Non quod singuli ista omnia habeant, sed quod alii ex istis alia haberent, vel Psalmum vel doctrinam, Psalmum,* h. e. *piam Cantionem a Sp. Dei suggestam.* TERT. in Apol. *Refert quod hoc donum in uno vel altero viguit, reliquis omnibus tacentibus, ac nisi applaudentibus per Amen.* Alii sic. *Quicquid est, quod cuiquam vestrum obtigit, sive sit instructus Spirituali Cantico, sive præmeditatam habet doctrinam, sive dextrè pollet S. interpretari: id totum referat ad Ecclesiæ ædificationem.* Memorabile est quod refert *Firmin.* de quodam Separatista in N. A. omnem Psalmodiam ordinariam, communem, publicam, vocalem, abominantem: in tantum ut Ecclesia Dei in illis locis reformata, necesse habuerit, vel hoc sacrum institutum Ecclesiis eliminare, vel istũ phreneticum Ecclesiâ ejicere, quorum posterius jure merito factum fuit. vide *Psal.* 35. HIERON. contra IOVINIAN. de quodam taliter male compositio, sic pronuntiat. *Non est contentus noster,* h. e, *humano more loqui, altius quiddam aggreditur.*

QUAESTIO DUODECIMA.

QVomodo intelligi debet Canticum illud Novum, cujus crebra fit mentio? vide *Psal.* 96. 1. *Apoc.* 5. 9.

Resp. 1. Sic rectè dici, ut applicitum nostris statibus & conditionibus, in quibus ponimur. 2. Quod de corde procedat novo. Omnia namque nova & renovata sunt habenti Calcu-

lum album. vide *August.* Tom. 9. p. 3. 13. *Petro* renato, illud Mosis, *Exod.* 15. quod partim Eucharisticum partim Epinicion, memoratū etiam *Apoc.* 15. 3. Novum est homini novo. Davidica omnia & alia scripturalia, nova sunt usu & sensu, uti & illud Agni quod pro beneficiis præstitis cecinit sancta caterva. *Apoc.* 5. 9. Imo omnia verè spiritualia sunt Agni cantica & nova.

Quaestio Decimatertia.

Num in fine Psalmorum ac incisionum, Doxologia Ecclesiæ Dei olim, & magnam partem nunc usitata: Puta Gloria *Patri & Filio & Sp. Sancto,* sicut erat in principio, & nunc & semper, *decantari debeat?*

Quod hymnus Glorificationis sit antiquissimus, Antiquitatis studiosus nullus dubites. Tert. lib. de veland. Virg. has instituens, sic virginem alloquitur, *Ut quando surgit à mensa, gratias agat tribus vicibus, dicens: Miserator & Misericors Dominus escam dedit mentibus se, Gloria Patri, Filio, & Sp. Sancto,—— Serva ista,* inquit, *eritque tibi cibus & potus sanctificatus.* Basil. lib. de Sp. Sancto, cap. 27. *dicit hunc modum canendi gloriam Trinitati, esse ex Apostolica traditione.* Si quæras, cur hac usi, & tam frequenter? Recte respondet *Forbes.* lib. 1. cap. 22. §. 1. Inst *Quo clarius Deitatem in Trinitate Personarum, & unam Trinitatis gloriam, atque æqualem Patris, Filii, & Sp. Sancti honorem, eandemque glorificationem profiterentur Veteres, usurpabant in fine Canticorum hunc hymnum, Gloria Patri, &c.* Ad quod ulterius vide *August.* lib. 3. contra *Maximinum,* & *Epiphan* hær. 62. *Macarium,* Homil. 12. *Gregor. Thaumat.* serm. 10. Cnnunt. *B. Virg. Fulg.* lib. 2. ad *Monimum.* cap. 3. pro omnibus audiatur unus *Basil. M.* Epist. 78. *Sicut accepimus, sic baptizamus, & sicut baptizamus, sic credimus, & sicut credimus corde, sic confitemur ore, & sicut confitemur, sic glorificamus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Τάυτη ἐστιν ἀποδείξις τῆς ὀρθῆς φρονήσεως. Quicquid sit de Authore hujus hymni, consentiunt tamen receptam fuisse hanc formulam in Ecclesiis Orthodoxis tanquam doctrinæ Nicenæ consonam. Non quod inventus fuerit hic hymnus ab ista synodo, nam contendit *Baronius* ad ann. *C.* 325. à fidelibus eccini cœptum ab ipsis Apostolorum temporibus

ribus. Quod ut dixi, *Basilius* ad *Amphiloch.* pluribus docet. Et post eum *Ambros. Cont. Auxent.* significat, se in odium *Arianæ* hæresis in hymnis à se recens editis, & in Ecclesiis canendis populo traditis, ad finem cujusque addidisse eandem conglorificationem S. Trinitatis. *Walafridus Strabo* cap. 25. lib. de *Off. Eccl.* Petit Originem Glorificationis huius individuæ Trinitatis ex S. puta *Eph.* 1. 17. *Eph.* 3. 14. &c. Recte notat *Suares.* lib. 4. de horis Canon. cap. 2. §. 1. quod occasione Arianismi fuerit aucta, nam testibus *Nicephoro* & *Theodor.* Ariani illam corrumpi procurarunt. *E. g.* ut non per simplicem copulationem æqualiter glorificentur personæ, sed interponendo particulas *per* & *in*- Nos canimus, *Gloria Patri, & Filio, & Sp. Sancto*, in casu dativo, ait *Damascen.* Epist. de Trisagio. quod nolebant *Ariani, Pauliani, Anomœi, Macedoniani.* Illi vero, *Gloria Patri per filiũ, in Sp. Sancto.* In quo semper laudanda est fortis constantia *Flaviani*, qui sub *Leontio Ariano*, gregem Antiochenum in diversa dispersum, Orthodoxæ doxologias professione, veritatem & unitatem primus reducere aggressus est. Refert *Sozom.* lib. 3. cap. 19. Catholicos δοξάζειν τὸν υἱὸν ὡς ὁμότιμον τῷ πατρὶ, Arianos vero τῇ παρὰ θέσει τῆς προθέσεως δευτερεύειν τὸν υἱὸν. Itaque omnes pene sequiores Historici contestantur, quod hic hymnus, cum occineretur ubiq; licet diverso ritu, contra blasphemias Arianorum acceperit novum additamentum. *Sicut erat in principio, & nunc, & semper. Amen. quo usam utramque Ecclesiam, Orientalem & Occidentalem postea, testatur* Conc. Vasense Can. 7. *Quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post gloriam Patri &c. sicut erat in principio, &c. dicatur: etiam & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decrevimus.* Sunt autem tria incommoda quibus vulgò prægravatur, ne sit nunc apud nos in observatione viridi. Sunto itaq; ad examen revocata. Primum, transiit in maximum abusum. *Resp.* 1. Hoc esse, nemo inficiabitur, qui legerit quæ in officiis Romanæ Ecclesiæ observanda circa eum hymnum traduntur. Ut quod omittatur tempore passionis Domini: ut quod à Dominica passionis per undecim dies intermittatur. ut quod reticeatur à nocte cœnæ Domini usque ad Pascha. ut quod ad introitum Missæ recitetur. ut quod populus eum conclamat, quando Evangelium legitur. 2. Hisce ma-

jora gravamina sunt in *Gloria in excelsis*, qui est *Luc.* 2. 14. *E. g.* ut tantum decantetur in Dominicis diebus, & Natalitiis Martyrum. ut cantetur ad Chrisma: & versus Orientem, & ad dextram Altaris. ὁ τῆς φλυαρίας! Vide *Biblioch. PP.* tom. 6. & in ea *Amularium*, *Gemmam Animæ* &c. 3. Abusus rei licitæ, nunquam præjudicabit ne possimus ea recte uti. Recte *August.* lib. de doct. *Christ.* non usus rerum sed libido utentis in culpa est. *Secundum est*, quod hic hymnus non sit Scripturalis, qualis ille est, *Gloria in excelsis. Resp.* 1. Concedi quod hæc ratio duo suadeat. *Primum.* Ex illo sequi quod sine invidia possit omitti. 2. Eo admisso, januam patentissimam sic aperiri modernis Componistis novantibus, quod aliàs factum nolumus. 2 Verumtamen eis qui isto adhuc utuntur non deesse suas rationes. Quarum una est; qualis futura est Comprehensorum conditio & praxis in patria, talis & nunc ipsorum viatorum esse potest in via. h. e. ut utrique conglorificent Trinitatis consempiternitatem, qua in spe, qua in re, qua in desiderio, qua in fruitione. Altera est, *Canon* 3. *Conc. Tol.* 4. verba sunt. *Et quia hymni studio humano in Dei laudem compositi esse noscuntur, sicut illi quos* Hilarius *&* Ambrosius *addiderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum Canonū, vel Apostolica traditione non existunt*; Respuant ergo illi hymnum ab omnibus approbatum, quem in fine omnium Psalmorum dicimus, *Gloria Patri* &c. *Tertium est*, Cum *Arianismus* sit jam profligatus, nullus illius hymni restat usus. *Resp.* 1. Cum eodem *Fœbadio* contra Arianos, mortuis authoribus hujus veneni, scelerata tamen eorum doctrina non moritur. In tantum recruduit, ut cum *Hieronymo* dicam, Ingemuit Orbis & miratus est se factum *Nearianum*. Adeo ut propter hoc, magis videatut retinendus. Nam quamvis moderni Socinistæ nolunt dici *Ariani*, *Photiniani*, *Pauliani*, attamen id jure merito eis id ego applicaverim quod habet Poëta. Quæ Phœbo Pater Omnipotens, mihi Phœbus Apollo, vobis Furiarum ego maxima pando. Modernus enim Socinismus illorum vero propago est. Sūmatim ut quod sentiā super hoc comprehendam, dico *Primò* non facile dixerim esse defectū œconomicum ejus quod necessario adesse debet, ubi nō est in usu. *Deinde*, ubi in usu vegeto est, sentio posse piè retineri sine aliorum justo scandalo. *Tertiò*, in quibus Ecclesiis ejus exolevit usus, vel in quibus nunquam in usu fuit, sentio non rigidè eis imponendū. Memor illius *Augustini*, omnis mutatio est periculosa & metuenda.

Quarto

Quarto, si publicum alicujus Ecclesiæ votum ac desiderium restitui velit, non sum qui renuam, præsertim cum nullo Synodi Nationalis nostræ decreto, quod sciam, rejectus & explosus fuerit. Ἀλλ' ἄπειχω.

Ex Hymno *Synesii*. I.

Ὑμνῶ σὲ μονὰς, Μονὰς ἓ τριὰς ὠν.
Ὑμνῶ σὲ τριὰς, Τριὰς ἓ μονὰς ὤν,

X.

Χαίροις ὦ παιδὸς πηγὰ,
Χαίροις ὦ πάτρὸς μορφὰ.
Χαίροις ὦ πατρὸς σφρηγὶς
Χαίροις ὦ παιδὸς κάρὸς,
Χαίροις ὦ πάτρὸς κάλλος.
Χαίροις δ' ἄκραντος πνοία,
Κένὸσον κόρυ καὶ πατρὸς.

V.

Δὸς δὲ ἰδέσθαι
Σῶτηρ Ιησᾶ
Ζαθέαν ἄγλαϊαν
Σὰν. ἔνθα φανεὶς
Μέλψω ἀοιδὰν
Ψυχᾶν παίσι,
Γαίσι γυίων,
Πατρὶ συν μεγάλω,
Πνευματί θ' ἁγίω.

Ex Veterum PP. Hymnis Ecclesiasticis.

O Trinitas laudabilis,
Et Unitas mirabilis,
Quæ simplici substantiâ
Virtus manes intermina.
Tu Charitas & Puritas
Tu Pax & Immortalitas.
Patris, paracleti, nati
Decore pollens perpeti.

Laus Patri sit ingenito,
Filio ejus Unigenito,
Laus sit Sancto Spiritui,
Trino Deo & Simplici.

Ingenito & Genito
Cum Spiritu paracleto,
Ipsis honore debito
Deo psallimus inclyto.

Treis unum colimus Deum,
Unam Trium essentiam,
Tribus unam impendimus
Honoris reverentiam.

Δόξα μὲν ἀθανατῶ ἔστιν ἅπασα θεῶ

Τῇ ἐν ΜΟΝΑΔΙ παναγία, ἓ ὑπερ' ἀρρήτω ΤΡΙΑΔΙ
δόξα καὶ χάρις, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Amen.

δόξα μεγάλη θεῶ, δόξα τριάδι θεῶ.

FINIS.

Ainſworth.
A Caſtro.
Aimonius.
Alſtedius.
Albert. M.
Ambroſius.
Ameſius.
Annularius.
Annotata Angl.
Anſelmus.
Apollonius.
Apollinarius.
Aquinas.
Arator.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Auxentius.
Amyraldus.

B

Bailius.
Barclaius.
Baynus.
Barradius.
Baſilius.
Boëtius.
Beza.
Bernardus.
Bellarminus.
Bonaventura.
Bodius.
Buxtorfius.
Brightmannus.

C

Calvinus.
Caranza.
Caſſiodorus.
Calviſius
Caſſander.
Chemnitius.
Centuriatores.
Cicero.
Clem. Alexand.
Corn. à Lapide.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Conc. Tol. 4.
Conc. Conſtant. 6.
Conc. Agathenſe.
Conc. Laodic.
Conc. Carth. 1.2.
Conc. Vaſenſe.
Conc. Turon. 2.
Corn. Agrippa.
Cornwellus.
Cottonus.
Cajetanus.
Coquæus.
Cöſt. L'Emperor.

D

Damaſus.
Durandus.
Danæus.
Didoclavius.
Diodati.
Diodorus.
Dionyſ. Areop.
Decretale.

E

Edw. Leigh.
Elias Cretenſ.
Epiphanius.
Epiſcopius.
Eraſmus.
Eſſeni.
Eſtius.
Euſebius.

F

Flavianus.
Firmin.
Fœbadius.
Foordus.
Forbeſius.
Franzius.
Fulgentius.

G

Garſias Loyola.
Gavantus.
Gangræna.
Gemma animæ.
Gelaſius.
Gerardus.
Genebrardus.
Gomarus.
Goodwin.
Guido, Aret.
Grotius.
Greg. M.
Greg. Niſs.
Greg. Naz.
Greg. Thaumat.

H

Hieronymus.
Hilarius.
Hierax.
Hallus.
Hookerus 2.
Hoſpinianus.
Hottingerus.

I

Ianſenius.
Ignatius.
Illyricus.
Iſaac Ambroſ.
Iuvencus.
Iulianus.
Iunius.
Iuſtin. Martyr.
Ioſephus.
Iſidorus.

K

Keckermānus.

L

Leontius.
Leydenſes.
Lindanus.
Lutherus.

M

Maldonatus.
Macarius.
Mareſius.
Mollerus.

N

Nepot.
Norton.
Nicephorus.
Nicol. Lyran.

O

Officium Eccleſiaſt.
Opus Tripartitum.
Orpheus
Oſiander.

P

Paræus.
P. de Maria.
Perkinſus.
Philo.
Plinius 2.
P. Martyr.
Pindarus.

Pindarus.
Polybius.
Polydorus v.
Piscator
Prudentius.
Philastrus.
P. Samos.
Platina.
Pythagoras.
Psalterium M.

R

Radulphus.
Rhetor fortis.
R. de media villa.
Robinsonus.
Rivetus.
Ruffinus.
Rusticus.

S

S. Senensis.
Schindler.
Socrates.
Suares.
Sedulius.
Strabo.
Synod. Rō. 1.
Synesius.

T

Tertullianus.
Theodoret.
Tirinus.
Tilenus.
Tremellius.

V

Valentia.
Vives

W

Wardus.
Willets.

Z

Zanchius.
Zepperus.

Index Partis primæ.

Cap. 1. *Proponuntur ex Scriptoribus Eccles horum trium.* (Psalmus, Canticum, Hymnus) *acceptiones variæ & differentiæ, una cum* ἐπιχρίσει. pag. 1.

Cap. 2. *Ostenditur Psalmodiam Ecclesiæ Dei semper in usu vegeto fuisse, idque per singula sæcula decurrentia* pag. 3.

Cap. 3. *Ostenditur quàm procaciter varii infectati sint Psalmodiam Eccl. eorumque argutiolæ diluuntur.* pag. 6.

Cap. 4. *Probatur contra* Sectarios *quod Psalmodia Eccl. etiamnum licita sit.* pag. 8.

Cap. 5. *Proponuntur quorundam Veterum Patrū & Modernorum Theologorum aureæ sententiæ de Psalmorum & Psalmodiæ utilitate.* pag. 10.

Cap. 6. *Deteguntur varii notabiles abusus Psalmodiæ Eccl. ostenduntur; quomodo sit eis præcavendum.* pag. 13.

Cap. 7. *Probatur quod etiamnum concini debeant Psalmi* Davidis, *Mosis, aliorumque Psalmographorum* T. V. *Et ad examen revocantur Argumenta in contrarium.* pag. 17.

Cap. 8. *Quæritur, Num in publicis Ecclesiæ cœtibus, tantummodo decantanda sint ista Cantica, quæ à viris* θεοπνεύστοις *composita sunt, extantia in S. An vero etiam publicè decantari possint ac debeant pro occasione Cantica sacra, à viris pietate & fide conspicuis constructa, & verbo Dei consentanea.* pag. 22.

Cap. 9. *Num illa Ecclesiæ sint reæ superstitionis,* φιλοθρησκείας, *præceptiq;*

ceptiq· secundi violati, quæ in cultu publico utuntur statis formulis vel præconceptâ & præscripta Psalmodiâ? pag. 22.
Cap. 10. *Num admitti debeat Organorũ usus in Cantu Ecclesiast.?* p. 33.
Cap. 11. *Resolvuntur duæ quæstiones, una de Metro, altera de alternis in Ecclesiast. Psalmodia.* pag. 35.
Cap. 12. *Num unus solus in Cœtu Ecclesiastico canet? An aliqui tantum in eo, ad id ex officio deputati? An vero totus fidelium cœtus ad canendum Domino teneatur.* pag. 38.
Cap. 23. *Num liceat vel expediat à nobis decantari Psalmos refertos imprecationibus diris; quales sunt Psal.* 5. 10. *Psal.* 69. *à* v. 22. *ad* v. 29. *Psal.* 109. *à* v. 6, *ad* v. 20. *&c.* pag. 41.
Cap. 14. *Proponuntur varii modi dextre & recte Canendi ex S. & Scriptoribus Ecclesiasticis.* pag. 42.
Cap. 15. *Discutitur insignis illa quæstio. Num ex illo quod in cœtibus Ecclesiasticis, mali commiscantur bonis, cum infidelibus fideles, vitanda ac de medio tollenda sit omnis Psalmodia Ecclesiastica?* pag. 46.

Pars Secunda.

In qua varii resolvuntur Conscientiæ Casus particulares, hanc Psalmodiam Ecclesiastico-divinam attinentes.

Quæst. 1. *Num Psalmodia æquè conveniat animo ægro, tristique, ac hilari, lætoque?* pag. 50.
Quæst. 2. *Quisnam fuit ille Hymnus, quem Christus & Apostoli cecinerunt* Matth. 26. 30. pag. 51.
Quæst. 3. *Num piè & prudenter decantantur à nobis Psalmi illi, qui minus recte videntur nobis in tali rerum statu & conditione positis accommodari, quasi nostras exigentias nunc non attinentes, E. g. Num Psalmus* 6. *sit cantandus à Petro sano? Num Psalmus* 51. *ab eodem Casto? Num Psal.* 132. *ab eodem superbo?* pag. 52.
Quæst. 4. *Num dicendæ sunt istæ Ecclesiæ laborare defectu œconomico, in quibus nulla est Psalmodia?* pag. 54.
Quæst. 5. *Annon peccant, qui quod canunt, non intelligunt?* pag. 55.
Quæst. 6. *Num hæc psalmodia Ecclesiastica, tam mulieribus quam viris convenit?* pag. 56.
Quæst. 7. *Num recte faciunt Artifices, Remiges, Nautæ, Viatores, Opifices Cellularii, qui Deum debita absolvunt pensa, & exequuntur Officia*

ficia imperata, tum etiam vacant Psalmodiæ divinæ? pag. 56.
Quæst. 8. *Num liceat Christiano Musico, Cantilenas Idololatricas canere, in quibus sanctorum invocantur nomina?* pag. 57.
Quæst. 9. *Num privatim, & in familiis hac Psalmodia recte utimur?* (pag. 58.
Quæst 10. *Num recte faciunt Christiani Orientales in* Syria, *Armenia, &c. Qui cum in Templum venunt, festis solennibus, præsertim Resurrectionis Dominicæ, cum Cytharis Psalmos inter se cantant, & unà saltant?* pag. 59.
Quæst. 11. *Quomodo intelligendum est quod legimus* 1. Cor. 14. 26. Quisq; vestrum Canticum habet? pag. 60.
Quæst. 12. *Quomodo intelligendum sit* Canticum illud novum, *cuius crebra fit mentio? vide* psal. 96. 1. *Apoc.* 5. 9. pag. 61.
Quæst. 13. *Num in fine Psalmorum ac inuisionum, Doxologia Ecclesiæ Dei olim, & magnam partem nunc usitata, puta Gloria* Patri, Filio, *&* Sp. Sancto, *sicut erat in principio, & nunc & semper, decantari debeat.* pag. 62.

Typothetæ Sphalmata sic Corrigas.

In *Dedicat.* pag. 2. lin. 9. Lege antestare. *Præf.* pag. 2. l. 24. lege miserationes. Lin. 32 deest *quibus*. Pag. 3. l. 20. lege διαφωνία. Operis pag. 2. l 29 Cytharæ Pag. 16. l. 15. lege æquiùs. Pag. 26. l. 31. lege nostrum. Pag. 28. l. 14. l ge Episcop. Pag 26. l. 26. lege Dam. Pag. 60. l. 29. lege Deo ut. Pag. 62. l. 25. lege Cantic.